 5v sic mundo dominum praefecit, ut inter utrumque
 existens medius sentiret utrimque iuuamen.
 Ergo duas habuit hominis plasmatio causas:
 efficiens causa bonitas Domini fuit una,
 275 utilitas serui finalis causa secunda.
 Angelici lapsus etiam reparatio causa
 conditionis erat humanae, non sine qua non
 formaretur homo, sed qua magis utilis esset.
 Cum restaurari quandoque ruina malorum
 280 spirituum nequeat, est imperfectio duplex,
 laetitiae et numeri, reparanda ruina bonorum;
 cum loca spirituum conscenderit omnis ad illa
 peruenturus homo, tunc primum gloria cunctis
 perfecto numero dabitur perfecta beatis.
 285 Labem spirituum sic incarnatio Christi
 deleuit, gessit si quidem Uerbum caro factum,
 ut possent homines ad caeli scandere ciues;
 uel, quoniam socios aspernabantur habere
 quantumcumque bonos homines, sic abstulit istam
 290 labem Christus homo, quod iustum quemlibet ipsis
 adiungi socium laetentur ob eius amorem.
 Quod tam disparium tam concors unio fiat,
 corporis ac animae, quamuis feliciter ipsa
 esse uideretur per se, diuina uoluntas
 295 instituit, cuius non debet causa requiri.
 Aut Deus exemplo tali nos instruit, ut non
 miremur, quamuis terreno corpore pressos
 toto corde sibi nos iungi posse, perennem
 laetitiam dante nota deitate fruentes:
 300 cognitione quidem deitatis uita perennis
 6r non ualet amitti semel acquisita, nec eius
 possessor quandoque bono priuabitur omni;

278 qua R2: quia Rac

301 ualet R(1): ualent Rac

302 possessor R1: qñ c (?) [= *initium uersus 304*] Rac

276-78 P. Lomb. II, 1,5.

279-81 P. Lomb. II, 21,7.

282-91 P. Lomb. II,

9,6.

286 Ioh. 1,14.

292-313 P. Lomb. II, 1,6.

298 Matth. 22,37.

- sed non plus animae detraxit copula carnis,
quando creata fuit, quam glorificatio tandem
305 proficiet, quando uelamine carnis operta
ad loca spirituum purorum caelica surget.
Uel Deus hinc uoluit animam coniungere carni,
quatenus et lucta maior de carne lutosa
surgeret et maius meritum maiorque corona:
310 auget enim meritum semper labor ipse merendi;
hinc homines constat aequari posse supernis
ciuibus, etsi sit in eis dilectio semper,
maior cum faciat homines plus lucta mereri.
- Non a spiritibus numero meritisque futuros
315 aequales homines loca seiungent, sed eisdem
ordinibus pariter inserti quilibet aptas
pro meritis capient sedes: iungentur amore
amplius ardentem Seraphin, pleneque scientes
surgent ad Cherubin, reliqui generaliter omnes
320 ad reliquas sedes simili ratione uolabunt.
Aut hominum per se paries fabricabitur alter,
par personarum numero meritisque priori,
in quo pro meritis reddantur praemia iustis.
Plures ascendent homines, pluresque steterunt
325 spirituum, quam qui iustam sensere ruinam.
Non quod in ordinibus mansissent, inde ruisse
ex ipsis reprobi dicuntur, sed quod in ipsis,
si non spreuissent Domino seruire, fuissent.
Gratuitis, sicut et naturalibus, omnes
330 conueniunt donis, quos unus colligit ordo.
- 6v 'Fiat lux, dixit Deus, et lux facta refulsit'.
'Dixit', id est: genuit Uerbum, per quod fieret lux;
aut adeo facile, ueluti quis diceret, egit;

303 sed *R*: an si scribendum?

315 seiungent (seiungunt) *Rpc*: ..iungunt *Rac*: seiungunt *Gz*; cf. ad 324

316 inserti (?) *Rpc*: incerti *Rac*

324 ascendent (—dñt) *R*: ascendunt *Gz*; cf. ad 315; cf. praeterea 1858

310 *sch*. Prouerbiū. 314-20 P. Lomb. II, 9,6. 324-25 Cf. P. Lomb. II, 9,7. 326-28 P. Lomb. II, 9,4. 329-30 P. Lomb. II, 9,2,2. 331-44 P. Com. 3 (PL 198: 1057B-D). 331 Gen. 1,3.

- per 'fiat' cognosce Deum praescisse futuram
 335 lucem; per 'facta' progressum lucis in actum.
 'Esse bonam uidit lucem', quia facta placebat,
 quae praescita prius placuit. 'Diuisit eandem
 a tenebris, lucemque diem noctemque tenebras
 appellauit', id est: imponi talia fecit
 340 nomina; quippe Deus membrorum non habet usum.
 Spirituum simul hic diuisio facta probatur,
 et dicti sunt 'lux' stantes 'tenebrae'que cadentes:
 inde liquet liquido simul omnes ante creatos
 cum caelo, post diuisos cum luce fuisse.
- 345 Cessit ab initio cuius essentia simplex
 et personalis pariter discretio; uerum
 intellectus erat dispar datus arbitriique
 libertas: cuius essentia purior, eius
 intellectus erat subtilior, atque migrare
 350 pronior in partem libertas ipsius unam.
 Plenus has dotes accepit Lucifer, unde
 omnibus est aliis reputatus maior: opertus
 est omni lapide pretioso, clarior astris
 enituit reliquis, talis non extitit alter.
- 355 Omnis ad haec uitii fuit expers quisque creatus,
 naturae quadam dulci bonitate refertus,
 uerum nullius uirtutis luce beatus,
 donec, peruersis grauiter labentibus, illis
 qui permanserunt uirtutum dona darentur;
 360 et uelut iniustos inuoluet poena perennis,
 7r sic est aeterna subito data gloria iustis.
 Non Deus ad poenas celer est, ad praemia tardus,
 sed semper potius poenas quam praemia differt.
 Lucifer auctor erat casus. Ex dotibus auctis
 365 naturae tumuit; transcendere cuncta creata
 pro nihilo duxit, si solus Conditor esset
 maior eo; quare nimio temerarius ausu

360 inuoluet *Gz*: inuoluit *R*

362 Non *Rpc*: *S.* (?) *pro No Rac*

336-38 Gen. 1,4. 338-39 Gen. 1,5. 339-40 P. Lomb. II, 13,6.

352-53 Ezech. 28,13. 364-75 Is. 14,13-14; P. Lomb. II, 2,6.

- ipsi praesumpsit similari uelle tenore
 peruerso, non ut conformis subditus esset,
 370 sed dominaretur aliis tamquam Deus alter,
 ipse carens domino. Dominandi caecus amore
 hoc impossibile non aduertit, licet ipse
 semper subtili sensu transcenderit omnes;
 uel, licet hoc sciret, contempsit turgidus: aequum
 375 despicit et uelle sequitur, non posse, superbus.
 Ex tanto fastu non solus corrui, immo
 'tertia pars' secum. Sed debet 'tertia' sumi
 pro 'magna' parte; tot quippe superbia strauit,
 quod decimus posset ex illis stantibus ordo
 380 compleri; uel pars hominum fuit una bonorum,
 altera spirituum iustorum, tertia pars, quae
 corrui, ex solis reprobis constabat utrimque.
 Stulte Lucifero magis elegere subesse
 quam Domino socii casus, qui per sibi facta
 385 signa uoluntatem subito didicere magistri. -
 Sed si consensus fuerit persuasio causa,
 sicut Adae culpa sic debuit esse reatus
 ipsorum pariter curabilis. - At, licet ipsa
 adiutrix fuerit, infirma tamen caro, prona
 390 in lapsum, potius ueniam meruisse uidetur.
 7v Nubilus hic aer pro carcere cepit ab alto
 eiectos caelo, sed non aequaliter omnes
 descendere; quibus est maius posse nocendi,
 illorum magis a terris habitatio distat.
 395 Est aer carcer, in quo pro crimine numquam
 pendere cessabunt poenas, dum tempora currunt
 praesentis saeculi; sed sic concessa potestas
 uexandi genus humanum delectat, ut omnem
 uim tormentorum nequeant cognoscere, donec
 400 praesenti saeculo finito posse nocere
 perdant et solis habeant intendere poenis.

372 hoc *Rpc*: h · ī (?) *Rac*

368 *sch. R2* (peruerso) Super illum locum: deus quis similis erit tibi? qui per se uult esse ut deus, peruerse uult esse similis deo, ut diabolus. (*Aug. Enarr. in Psalm. 70, 19 sermo 2, 7 apud P. Lomb. II, 22, 4, 8*). 377 *Apc.* 12, 4. 391 *Iudas* 6.

Et licet ipsorum damnanda superbia semper
 crescat et hinc poenas semper mereantur amaras,
 attamen antiquas, a primi tempore lapsus
 405 inflictas, tantum patiuntur easque merentur,
 antiqua poena sic praecedente recentes
 culpas, sicut in his, qui permansere, recenter
 exhibitis meritis debentur praemia prima.
 Econtra meritis hominum conceditur ista
 410 tantum uita, uelut tantum uentura coronis;
 in terris solus habuit simul utraque Christus.
 Uel tam spirituum iustorum gloria maior
 fiet post istud saeculum quam poena malorum:
 hinc poenas metuens uenturas unus eorum
 415 ad Christum dixit: 'quare nos ante statutum
 tempus uenisti torquere?', quod esse supremum
 iudicium, saeculi praesentis meta, uidetur,
 in quo spirituum crescent tormenta malorum,
 et, licet excrescat iustorum gloria, numquam
 420 ad suprapositum pertinet subditus ordo.
8r Uel Dominus meritis praemisit praemia tantum,
 non poenas, piger ad poenas, ad praemia uelox,
 qui gratis saepe largitur munera, uerum
 non perpetrati numquam fit criminis ultor.
 425 Est in daemonibus tantum permissa potestas,
 sed duplex: una possunt seducere tantum
 iniustos, ab ea 'rektorum' nomen adepti
 (nam seductus eis et solus et omnis oboedit);
 ex alia possunt iustos affligere sicut
 430 iniustos. Rerum tamen Auctor utramque coartat
 certis limitibus, quos non transcendere possunt.
 Cum numquam tangat ipsos compassio, numquam
 affectus moueat pietatis, nulla nocendi
 esset mensura, nullus modus esset iniqui
 435 profectus, si cui possent pro uelle nocere.
 Ad se, non alios, in eis dilectio durat,
 sed naturalis, quam tollere culpa nequiuit;
 et, licet esset eis melius non esse, grauatis
 pondere poenarum nimio, malunt tamen esse:

- 440 quid cui praeponat, nescit turbata uoluntas.
 Non fidei luce caruerunt ante ruinam;
 esse Deum docuit unum rationis acumen,
 trinum non potuit ratio perpendere, uerum
 inspirauit eis Deus: hinc, cum Filius esset
- 445 aequalis Patri, se cernens esse minorem
 Lucifer inuidit ipsi, factura Tonanti,
 figmentum figulo, ruiturus ad infima summo.
 Hinc tempestatem cognoscens Filius ortam
 propter se uoluit in mundanum mare mitti.
- 450 Credunt atque uolunt se credere, non tamen esse
 8v uerum quod credunt, sicut uult dicere uerum,
 non uerum tamen esse, patrem qui dicit obisse.
 Omni semper adest homini specialiter unus
 angelus ut uexet, ac ut custodiat alter.
- 455 Quem malus infestat, bonus angelus adiuuat: ille
 improbus ut perimat, ut saluet sedulus iste.
 Plus prodesse studet aliis specialis amicus,
 et magis affectat hostis specialis obesse.
 Non hominem, quamuis delinquat, deserit eius
- 460 angelus, immo bene custodit tempore culpae;
 quippe nihil minuens de contingentibus implet
 officium, quamuis peccans parere recuset.
 Curat praeterea, ne subdolos ipsius hostis
 in nimiam captum scelerum demergat abyssum,
- 465 cum per se nullum queat euitare reatum.
 Infantem nondum sacro baptismate lotum
 angelus ipsius subito custodit ab ortu,
 non quod eum tenera peruerti sufferat aetas,
 sed ne possit eum prorsus subuertere Daemon.
- 470 Praescitum quamuis custodiat et uelit esse
 a culpa mundum, non uult tamen esse salute
 aeterna saluum, cum confirmata uoluntas
 ipsius numquam diuino uelle repugnet;
 sed nec eum uel uult uel debet uelle perenni

440 cui *RI*: iui *Rac*

462 peccans *Rpc*: peccatis (?) *Rac*

442 Iac. 2,19. 447 Rom. 9,20-21; Is. 29,16; 45,9. 448-49 Matth. 12,39-40;
 Ion. 1,12. 450 Iac. 2,19. 473 *sch.s.l.* (ipsius) Angeli.

- 475 damnari morte, cum nesciat angelus illud
 uelle Deum, mundi supremæ nescius horæ.
 Praescitum nescit, non ignorat, neque credit
 saluandum, poenæ cuiuslibet angelus expers:
 omnis, qui falsa pro ueris approbat, errat,
 480 et poenam sentit ignorans omnis et errans.
 9r Angelus omnis habet mitti, non quilibet ad nos;
 supremi mediis, medii mittuntur ad imos,
 quos ad nos mitti subiectos postulat ordo.
 Non fuit ex Seraphin Isaiaë, missus ad eius
 485 os incendendum; uerumtamen ordinis implens
 illius officium suscepit ab ordine nomen.
 Aut non inferior solus sed celsior omnis
 ad nos dirigitur, nec ob hoc minus omnis adhaeret
 assistitque Deo, nec ab eius amore recedit;
 490 non locus a quoquam disiungit ubique manentem.
 Non in spiritibus est missio prompta uoluntas,
 in quibus hoc agere non est quod uelle: uigorem
 hunc habet effectus tantum diuina uoluntas;
 sed cum mittuntur, transmigrant et loca mutant.
 495 Aerium corpus, quando res ipsa requirit,
 pro qua mittuntur, assumunt, quod tamen ossa
 non habet ut solidum, quamuis uideatur habere;
 sed nec spiritui sic consolidatur, ut unum
 ex ipsis fiat uel sensificetur ab ipso,
 500 quamuis in forma solido similetur et actu.
 Est Satan incentor, non immissor; licet extra
 hoc agat, unde malum mens intus sorbeat, hincque
 dicatur quandoque immittere, cum tamen illud
 non in corde creet, non est immissor habendus.
 505 Corpus erat primæ lucis sublucida nubes,
 quæ solis more superas pertransiit oras,
 donec ad occasum uergens occumberet, umbram
 obiectu terræ faciens, ubi splenduit ante;
 uespere sic facto faciem nox traxit opacam,
 510 donec, contestans fulgorem nubis adesse,
 9v ortum mane diem uiginti quatuor horis

primum finiret ordireturque secundum.

- In quo disposuit Deus orbis sensilis oras
 supremas (quippe caelum, quod celsius omnem
 515 humanum sensum transcendit, nomen ab igne
 sortitum, quia lucet ut ignis, quam cito fecit,
 ornans angelicis repleuit ciuibus: a quo
 Lucifer affectans ascendere corrui, unde
 creditur hoc aliud caelum sublimius, in quo
 520 Christus homo regnat excelsior omnibus): ergo
 tunc firmamentum, sphaerae tornatilis instar,
 a simili testae, qua circumscribitur ouum,
 fecit, sic dictum, quod aquis glacialibus esset
 inter aquas firmus infra supraque manentes
 525 terminus, aut quoniam firmo super axe rotetur
 firmiter, ut gyros et motus seruet eosdem;
 dictum 'sidereum', quia defert sidera; 'caelum',
 quod celans contenta tegat; quia lambitur aethre,
 'aethereum', uelut inferior denominat aer
 530 aerium caelum, residens de quatuor imum.
 Quae firmamento supereminet, aut aqua sicut
 crystallus solida est, ne dissoluatur ad ignem,
 aut sursum pendet nebularum more uapora.
 Uerum philosophus contraria sentit, ut ignem
 535 sidereum caelum dicat, qui propter aquarum
 occursum, uel cum nequeat conscendere causa
 defectus mundi, postquam peruenerit illuc,
 iugi circuitu solitos circumuolat orbis.
 Sicut in artificis animo domus ante paratur,
 540 post in materia, tandem procedit ad esse,
 10r sic praescisse Deum 'fiat' designat, opusque
 materiae 'fecit', 'factum', quod coeperit esse
 tunc firmamentum, perfectum luce secunda.
 Quod priuaretur opus huius laude diei,

516 quia R2: que uel quod Rac

523 aquis Rpc: aguis Rac

525 rotetur R: an rotatur scribendum?

513-55 P. Com. 4 (PL 198: 1058A-59A).

517-18 Is. 14,12-13. 521-24 Gen. 1,7.

541-43 Gen. 1,6-8.

516 sch. in materia (uel in tertia).

535 sch. Nullus authenticus philoso-

phus dicit hoc.

- 545 Luciferi meruit Hebraeo teste ruina.
 At tradunt factum numeri ratione fideles:
 nam Deus est monas, cui sectio displicet omnis;
 quare binarius infamis redditur hinc, quod
 a prima sacraque recedat monade primus;
 550 infamatur idem pro duplicitate per ipsum
 designata, quam reprobatur Deus, unde diei,
 quam talis numerus denominat, illa negata
 laus est, quae cessit reliquis donata diebus.
 Uel non ablata differtur gloria laudis,
 555 donec opus prius inceptum lux tertia claudat.
 Tertia quippe fuit, in qua collegit in unum,
 quas prius a superis diuisit, aquas Deus, ut, quae
 aera replerant ut nubes ante uapores,
 tandem congestae spatio breuiore manerent.
 560 Et licet obtineant loca plura simul, tamen omnes,
 ut sanguis uenas, obseruant uiscera terrae.
 Aut, ut eas caperet uelut in matrice retentas,
 per ualles humiles descendens terra resedit.
 Hoc facto terra comparuit arida, nomen
 565 ariditatis ab humoris sortita recessu:
 inde uocatur 'humus', quia texit eam prius humor;
 inde 'solum', quoniam solida est substantia terrae;
 'tellus', quae tolerat hominum quoscumque labores;
 'terra', quod aut pedibus cunctis calcantibus ipsam
 570 aut circumfusis elementis ima teratur.
 10v Conuentum 'maria' Deus appellauit aquarum,
 sicut sermonis Hebraei comprobatur usus.
 Dignum laudis opus cum consummasset aquarum,
 'esse bonum uidit', et terram prorsus inanem

550 idem *Rpc*: ? *Rac*

552 negata *Rpc*: denegata *Rac* (de *expunxit R1*, *erasit R(2)*)

558 replerant *Gz*: replerunt *R*

565 ab *Rpc*: ad *Rac*

568 que *R*: quod *malimus*: qua *Gz(app)*

569 quod *Rpc*?: ? *Rac*

574 bonum: inquit *add. & exp. R1*

550-51 Iac. 1,8; 4,8. 556-97 P. Com. 5-6 (PL 198: 1059B-60A).
 Gen. 1,9. 564-574 Gen. 1,10.

556-57

- 575 et sterilem tanta Deus ubertate repleuit,
 ut simul acciperet producere posse quotannis,
 et statim uiridem mater produceret herbam,
 sicut ab antiquo creuisset, semen habentem,
 lignaque pomifera uarios gestantia fructus.
- 580 Quae tantum sterilis modo permanet herba uel arbor,
 aut hominum sterilem fieri meruere reatus,
 aut post peccatum de terra surgere coepit,
 aut, licet utilitas lateat, tamen utilis omnis.
 Nux intelligitur in 'pomo', cum tamen omnis
- 585 fructus cum testa sit nux, pomum sine testa.
 In sementinis 'sementis' grana uocantur,
 'semen' detecta, sed 'seminium' data terrae;
 aut proprie 'semen' animalis, at arboris atque
 frugum 'sementis', hoc 'seminium' quod origo.
- 590 Fructus in autumnno mundum coepisse fatetur;
 sed uiror obtinuit fidei pro uere fauorem.
 His elementa tribus distincta fuere diebus;
 ut collecta fuit aqua, liber claruit aer,
 atque reuelata per se quoque terra remansit,
- 595 ornatum reliquis tribus obtinuere; sed illa
 ornant, quae facta per se subsistere possunt,
 non herbae uel quae terrae radicitus haerent.

586 sementinis *K*: sementiuis *R*, *Gz*

575-79 Gen. 1,11-12. 592-95 P. Lomb. II, 14,9,2.

LIBER II

Caeli quarta dies ornatum cepit, ut ordo
ex alto transiret ad inferiora gradatim;
600 caelum luminibus ornari debuit ante,
11r ut post contenta possent ornata uideri.
Lumina maiora (sol, luna), deinde minora
(sidera) plasmata caelum splendore replebant,
ut lampas solis luceat sola diei,
605 sed noctis luna cum stellis temperet umbram.
Utiliter nocti cesserunt sidera, quamuis
exiguum lumen praestent, ut nocte uiantes,
quo tendant, uideant, solacia noctis habentes,
et, quae non possunt lucem tolerare diei,
610 ut tenui saltem potiantur lumine noctis,
et ne displiceat omni nudata decore,
si solus totam tenebrarum contegat horror.
Ut sol et luna magno splendore coruscant,
sic sunt pergrandes in corpore; quippe minore
615 terra parum maior, octavae partis adimplens
mensuram sole multo minor esse probatur.
Quamuis ante diem fecisset lucida nubes,
non ratione tamen caruit plasmatio solis:
lux insufficiens de nubis corpore, splendor
620 processit tenuis, stellarum more remisse
fulgens, plus superis, minus inferioribus oris.
Plasmato sole uel nubes illa reuersa
est in materiam, de qua processerat ante,
uel solem sequitur comes indiuisa, uel ipsam
625 in corpus solis Deus aucta luce redegit.

598 cepit *R*, *Gz(txt)*: coepit *Gz(app)*

602 minora *R2 in ras.*: minora *supra* maiora *expunctum R1*

609 et *R1*: ut *Rac*

- Haec, praeter lucis usum praeterque decorem,
sunt 'in signa, dies, annos et tempora' facta.
Sunt in signa, quia signantur, ut illa sciantur,
quorum sunt signa, tempestas atque serenum.
- 630 Ex ipsis etiam meruerunt signa uocari,
11v quae sol bis sena bis senis mensibus ambit.
Est Aries signum, quod, dextram sole tenente
partem Signiferi, dextro simul incubat armo.
Maius habet Taurum, quo tellus bobus aratur.
- 635 In Geminis solis geminatur proximus ardor.
Est Cancer signum descensus solis ab alto.
Post Leo, principio cuius sol fortius urit.
Uirgo, quod ipsius nil gignat tempore tellus.
Exaequat noctem mensurans Libra diei.
- 640 Scorpius in fine brumali cuspide pungit.
Grandinis Arcitenens iaculando spicula saeuit.
Aegeceron signat ascensum solis ab imo.
Hinc, quod aquas pluuias effundat, Aquarius extat.
Pisces sunt in aquis: hinc signant tempus aquosum.
- 645 Non, ut mentitur geneaticus, astra futuros
euentus rerum designant, ut, uelut astra
disponunt, sic sit contingere cuncta necesse.
Qualiter ex astro sensu uitaque carente
deperderet homo rationis dote beatus,
- 650 cuius ad obsequium Deus omnia condidit astra?
Ergo suam uitam nemo famulantibus astris
ascribat, uerum rationem quisque suorum
reddendam metuat operum, Dominumque bonorum
fautorem credat punitoremque malorum;
- 655 errantis sectam de caelo nemo sequatur,
ne secum pariter a caeli Patre recedat.
Non cum sideribus coeperunt tempora, sed, quae
praecessere, per haec tandem distincta fuere:

633 partem R2: artem Rac

642 Egeceron R: Aegoceros Gz

657 Non cum R2: Non tñ uel Nomñ Rac

627 Gen. 1,14. 632-44 Cf. Helpericus, *Computus* II (PL 137: 23-26). 645-47 P. Com. 6 (PL 198: 1060C). 650 Deut. 4,19. 655-63 P. Com. 6 (PL 198: 1060D).

uer serit, autumnus metit, alget hiems, calet aestas;
 660 et facit aequidiem bis in aequatore per annum
 12r et bis solstitium sol elongatus ab illo.

Scinditur in genera diuersa dies. Habet horas
 bis senas unus, uiginti quatuor alter;
 aequalem semper cum nocte sua minor implens
 665 maiorem, numquam mensuram seruat eandem,
 sed semper tribuit uel tollit tempora nocti:
 tanto plus crescit, quo plus sol tendit in altum,
 et plus decrescit, quo plus sol uergit ad austrum.
 Incipit a tropico brumali scandere Phoebus
 670 augerique dies, sed post altissimus iste
 fiet in aestiuo tropico, longissimus ille;
 inde dies minui non cessat, adusque reuersum
 Titanem tropicus hiemalis colligat ad se.

Incertum tempus quandoque 'dies' notat, in quo
 675 'montes stillabunt dulcorem', teste propheta.

In uarias species annus distinguitur. Orbem
 sol percurrento signorum perficit annum
 solarem, cuius cunctis superesse diebus
 quartam contingit, quae semper quatuor annis
 680 sumpta quater quartum bisextilem facit annum,
 quod bis per sexto numeretur luna Kalendas.
 At cum luna uice duodena lampade fratris
 coeperit accendi, lunarem perficit annum,
 quem tamen exsuperat in sex et quinque diebus
 685 annus solaris; propter quos saepe resumptos
 septenis uicibus superexcrecens fit in annis
 bis sex et septem, duodenis mensibus anni
 communis iungens unum triginta dierum.
 Annus sub specie serpentis in ore tenentis
 690 caudam depingi solet; appellatur ab 'an', quod
 12v est 'circum', quoniam redit et reflectitur in se

660 equidiem R2: equidem Rac

673 titanē R2: titan. Rac

681 luna R(1): luua Rac

quodam circuitu, dum semper cauda prioris principio coniungatur capitique sequentis.

- 'Ut lucem terrae praestent, a luce tenebras
 695 distinguant, praesint nocti praesintque diei,
 in firmamento posuit Deus astra'; sed ipso
 inferiora tamen, per se seiuncta, mouentur,
 nec solo raptu, tamquam sint fixa, feruntur.
 Noctis in initio lunam sacra pagina factam
 700 tradit; at in capite noctis cum non nisi plena
 surgat, constat eam cum pleno corpore factam.
 Sic sol mane fuit plasmatus, uespere luna,
 sed locus unus erat, Oriens, ambobus in ortu;
 aut ambo quarti sunt facti mane diei,
 705 hic, ubi nunc oritur, et, ubi nunc occidit, illa,
 et simul occubuit sol nobis uespere facto
 ac ex aduerso lunam produxit horizon.

Caelo sideribus in quarta luce repleto
 debuit ornatus ad proxima iure uenire.

- 710 Ergo die quinta, qui nouit, qualiter aer
 nunc spissetur, aqua nunc attenuetur (ut alter
 induat alterius genesim propriamque relinquat,
 cessans hoc esse, quod erat, non desinat esse,
 sed renouetur, ut hoc fiat, quod non fuit ante),
 715 et quae materia quas res producere possit,
 in pisces grossas, in aues tenues Deus aptas
 consolidauit aquas; et utrisque locum dedit aptum,
 ut uolucres ab aquis sursum deferret ad amplos
 aeris excursus leuitas adiuta uolatu,
 720 et pisces in aquis certa ratione manerent:
 13r cum facti fuerint ab eis nec ad aera possent
 surgere cognatum sine gressibus atque uolatu,
 ne linquant ipsas, naturae lege uetantur.
 Pisces 'reptilia' dicuntur, quippe natando

699 in initio R2: initio (?) Rac

707 aduerso R_{pc}: aduers. Rac

723 uetantur R_{pc}: ueta.tur Rac

694-96 Gen. 1,17-18. 699-707 P. Com. 6 (PL 198: 1061B-C). 707 sch. R2

Circulus finitor visus. 710-11 P. Com. 7 (PL 198: 1061C). 716-20

P. Lomb. II, 15,1. 716-17 Gen. 1,20. 724-31 P. Com. 7 (PL 198: 1061C-

62A). 724 Gen. 1,20.

- 725 repunt; 'uiuentes animas' dicuntur habere -
sunt in eis equidem uegetantes corpora flatus -,
non quae perdurent semper; sed ab esse mouentur
ad non esse, quibus sine corpore non licet esse,
cum rationales egressae corpore durent;
- 730 aut 'animam uiuam' Moyses animal uocat ipsum
uiuum, si piscis animam non possit habere.
Sic aqua, sic aer, haec piscibus, iste repletus
alitibus, cepit in quinta luce decorem.
'Crescere' praecepit Deus his 'et multiplicari',
- 735 non ut susciperent augmentum corpora, uerum
in solo numero fuit haec benedictio tota.
Ornatus terrae cessit post ista diei
sextae, quando Deus quaeuis animalia terram
sub triplici genere tantum producere fecit;
- 740 'reptile, iumentum, fera bestia' sunt tria tantum,
quae complectuntur animalia singula sub se.
Casum praesciuit hominis Deus, et quod egeret
auxilio dignusque foret pro crimine poena;
hinc iumenta Deus lapsu plasmauit ad esum
- 745 atque laboris opem, ne, tanti si foret expers
auxilii, nimia casus grauitate periret.
Uerum post lapsum sunt cetera facta nociua
propter tres causas: ut corrigeretur aberrans,
ut puniretur, et ut instrueretur ab ipsis.
- 750 Punitur, quando uel laeditur aut timet illis
- 13v laedi; corrigitur, quando punitus abhorret
peccatum, de quo sentit procedere poenam;
instruitur, cum se non posse resistere muscis
exiguus uideat et se fragilem probet inde
- 755 et paruum reputet depulsa peste tumoris.
Uermes, botracae, serpentes atque lacertae
repunt: ore tamen uermes, pedibusque lacertae
sicut botracae, serpentes pectore solo.
Uermes non inter animalia prima fuere,

737 post *R1 s.l.*: *om. Rac*753 muscis *Rpc*: puscis (?) *Rac*

- 760 quos modo producit solus putredinis humor,
 ut qui cisternae uitio nascuntur apesque,
 gurgulio, tinea, scarabaeus, uespa, teredo;
 at uini uel aquae quos exhalatio gignit,
 quae bibionis, item quae est papilionis origo,
 765 sexta dies inter animalia prima recepit.
 Ob similem causam plasmandi debet ad ista
 piscibus ac auibus benedictio facta referri.
 Postremo sequitur hominis plasmatio; circa
 quam quoddam studium plasmantis uerba loquuntur,
 770 dum tres personae dicunt 'Hominem faciamus,
 qui nobis similis signetur imagine nostra'.
 Spiritibus liquet angelicis non ista locutum
 esse Deum, cum constet eos nil posse creare;
 quippe creat solus Deus; unde creare ualentes,
 775 sicut sunt plures, sic sunt nihilominus unum;
 sunt autem plures personae, sunt Deus unus:
 plures sunt igitur in proprietatibus, unum
 sunt in natura, quibus est communis imago.
 Dissimiles uitio, similes uirtute probamur
 780 esse Deo; sed quae uitio non cedit imago,
 14r dirigit ad sola se naturalia dona.

Très sunt personae, Deus unus, quinque perennes,
 quae tres personas distinguunt, proprietates.
 Hinc in nominibus surgit uariatio trina:

- 785 quaedam sunt tantum naturae nomina, quaedam
 sunt personarum, quaedam sunt proprietatum.
 Uerborum duplex est significatio: quoddam
 usiae, quoddam personae conuenit, uni
 soli uel tantum geminis, nullatenus omni.
 790 Sic Pater et Genitus spirant, nec Spiritus almus,
 si designetur per 'spirat' notio; sed si

762 gurgulio *R*: curculio *Gz* || scarabeus *R(I)*: scarrabeus *Rac*

764 item que est *R1*: itemque est *Rac*

785 nature *Rpc*: persone (?) *Rac*

770-78 P. Lomb. II, 16,2. 770-71 Gen. 1,26. 779 sch. *R2* Unde filius
 prodigus (progidus *R*) abiit in regionem dissimilitudinis. (*Luc. 15,13*). 780 sch.
R2 Unde in psalmo: in imagine pertransit homo. (*Psalm. 38,7*).

copulet usiam, sic spirat Spiritus almus,
 ut Pater, ut Genitus, inspirans cordibus astrum
 uirtutum, cui nox uitiorum noxia cedit.

- 795 Cum personarum sint indiuisa secundum
 scripturas opera, distinctio sola notatur,
 non opus aut actus, per personalia uerba;
 nil agit inde Pater, quia gignit, ne, uelut actus
 est indiuisus et in omnibus unus et idem,
 800 sic quoque conueniat personis gignere cunctis.
 Nec Patrem posse quid Patrem gignere posse est,
 cum sit idem cunctis personis posse, nec una
 ipsarum possit aliquid, quod non queat omnis:
 hoc uerbum 'posse' naturam copulat, etsi
 805 'gignere' coniunctum designet proprietatem.
 Non est defectus sed uera potentia Patris,
 quod gignit: quare deitas cognoscitur esse
 in Patre gignendi diuina potentia Prolem;
 sed uelut in Patre, quamuis in Prole sit ipsa
 810 communis, non est in Prole potentia Prolem
 14v gignendi, Prolem ne Proles gignere possit.
 'Cum Genito Genitor spirando conuenit', et sic
 ex ablatiuo uerbum sortitur, ut ipso
 uerbo non deitas sed notio sacra notetur,
 815 cum uerbi propter ipsum sociatio fiat;
 hic 'Genitor generare potest', cum dignius extet
 et quasi causa 'potest', usiam copulat, etsi
 ex socio uerbo 'generare' relatio surgat.
 Quamuis, ut Genitor, sic spiret Filius eius,
 820 non Patri similem reddit spiratio Prolem,
 immo facit similem diuina essentia tantum;
 hoc nomen 'similis' usiam copulat, etsi
 personas similes distinctas innuat esse.
 Usiam quaedam supponunt nomina iuncta
 825 uerbis usiae, sicut 'Deus' atque 'creator';
 supponunt eadem cum personalibus illas
 personas, quas, quae sunt addita, uerba requirunt;
 cum quibus usiam possunt supponere, quando

807 quare *Gz(abb)*: quasi *R*, *Gz(txt)*; cf. 1143

818 generare *RI*: generant *Rac*

non designatur, hoc efficit, ut sibi iunctum
 865 usiae nomen 'plasmator' siue 'creator'
 siue 'Deus' pro persona supponere possit:
 hinc 'de plaste Deo plastes Deus esse' probatur.

Ut pro personis supponant, nomina quaedam
 restringi nequeunt per personalia uerba:
 870 haec sunt 'usia', 'deitas', 'essentia', per quae
 15v supponi nequeunt personae, nescia flecti,
 tamquam subsistens siquidem supponitur istis
 nominibus deitas, quasi participata per illa,
 quae pro personis faciunt supponere uerba:
 875 haec sunt 'plasmator', 'auctor', 'Deus' atque 'creator'.
 Non tres inde 'Dei' personas 'unius', immo
 'unius' potius 'deitatis', dicimus esse.
 Sic designandi modus attendatur, ut error
 falsus uitetur, sententia uera probetur:
 880 est Deus in lapide, sed non deitas, quia sicut
 proprietas deitas supponitur, et sibi uellet
 res ablatiui sortiri nomen ab ipsa.

Non 'genuit', non 'est diuina essentia nata',
 non genuit Natum, non extitit a Patre nata,
 885 ne sua sit genitrix, sua sit substantia proles,
 existens Genitor, existens Filius eius;
 ens sine respectu ne respectiua probetur.
 Si tamen occurrens hoc, quod substantia gignat,
 tradat scriptura, sic exponatur, ut ipse,
 890 qui Pater est, extans diuina essentia, gignat;
 inde sua de natura genuit, quia natus
 Filius est eadem substantia, quae Pater eius.
 Ad rectum sensum flectatur littera: debet
 non res sermoni sed rebus sermo subesse.
 895 Non Pater 'assumpsit carnem', non Spiritus almus,
 quippe sibi neuter, Natoque assumpsit uterque;
 hinc intelligitur inclusa relatio uerbo,

864 iunctum R2: uictum Rac

879 uitetur R2: ? Rac

888 hoc R: an huic scribendum?

- quod magis usiae quam personale probatur:
 incarnata fuit diuina essentia quippe
- 900 non in eo quod homo, sed quo Deus exstitit; una
 16r tantum persona, non Spiritus aut Pater, immo
 incarnata fuit Sapientia, Patris imago.
 Sic et naturam diuinam copulat unum
 nomen et ad solam personam respicit unam.
- 905 Hoc nomen 'missus' usiam copulat et non
 supponit, sed personam; nec congruit omni
 personae, siquidem non Patri, cum Pater auctor
 solus tam Geniti quam sacri Pneumatis extet:
 hinc ipsos mittit nec mittitur auctor ab ipsis;
- 910 mittit uterque tamen alium, qui mittitur a se;
 non se uel mittit Genitor uel mittitur a se,
 se licet infundat, licet infundatur et a se.
 Quod sit ab auctore quoquam, qui mittitur, ipso
 innuitur uerbo; quare non mittitur expers
- 915 auctoris Genitor, existens omnibus auctor;
 Filius a Patre est, a sacro Pneumate missus.
 Missio, qua genita Sapientia mittitur, etsi
 non Pater ipsius mittatur, notio non est,
 nec per eam, cum sit deitas communis utriusque
- 920 et non proprietas, distinguitur a Patre Natus,
 praesertim cum mittatur quoque Spiritus almus.
 Missio, sicut inest Genito, qua mittitur in nos,
 sic et inest, ipsa cum sit substantia, Patri,
 quem tamen infundi, sed mitti non facit in nos.
- 925 'Aeternus missus est, et non est Pater ille',
 non tamen 'ille Deus non est Pater': hic 'Deus' istud
 nil pro persona cogit supponere nomen.
 Non 'Pater et missus sunt': haec quia dictio 'missus'
 copulat usiam, coniunctio uellet, ut esset
- 930 alterius Pater usiae, diuersa requirens.
 16v Sicut supponit et sicut copulat istud
 nomen 'missus', sic 'ens missus' terminus iste.

923 inest R2: ? Rac

926 sch. R2 Ut tamen hoc pronomen 'ille' sit ibi adiectiuum et non supponat, sed innitatur huic substantiuo 'deus'. (*Hoc scholium partim in rasura scriptum est.*)

Et Pater et Genitus et Spiritus almus ut auctor
 efficit, ut iustus sit templum Pneumatis almi
 935 et Patris et Geniti; non est ideo tamen auctor
 aut Patris aut Geniti Genitus uel Spiritus almus.
 Per Genitum Genitor operatur semper ut auctor:
 sic 'Genitum Genitor Spiramine diligit almo',
 nam Pater est sacri Flatus, qui diligit, auctor;
 940 uel sanctus Flatus est ostensiuus amoris
 in Genitum Patris, ex quo procedit ab ipsis;
 aut Augustinus hoc dixit propter amorem,
 quo designari consuevit Spiritus almus,
 et quo diligitur nihilominus a Patre Proles.
 945 Quamuis per Genitum Genitor creet omnia, quamuis
 iustificet, non est per eum tamen ipse creator.
 non iustus, non scit, non est, et non sapit, ex quo
 non exercitium ualeat cuiuslibet actus
 Proles circa res per talia uerba notari,
 950 intuitu cuius ipsius sit Pater auctor.
 Per se Natus agit, ut dicit Hilarius, et non
 a se; sed 'per se', quia naturaliter, ut sit
 syncategoreuma; non 'per se', quatenus illic
 sumatur sicut oratio, cum bene constet,
 955 quod nullum Natus per Natum perpetret actum.
 Non tantum est una, sed duplex, missio Christi;
 illustrans mentes infusio saepe fit una;
 altera uisibilis semel incarnatio facta est.
 Est etiam gemina processio Pneumatis almi:
 960 temporis est una, qua sanctus Spiritus in nos
 17r procedit, reddens uirtutum luce serenos
 (hinc per 'procedit' essentia significatur,
 et, quod suscipiat homo sacrum Pneuma, notatur);
 altera non talis, qualis prior, immo perennis

952 quia *R*: quasi *malimus*

953 quatinus *Rpc*: quatenus *Rac*

955 per Natum *Gz*: pernatum *RI*: pernatum *Rac*

933 *sch.* Hoc argumentum non ualet: spiritus sanctus est causa efficiens quod
 iustus sit templum patris aut <filii>, ergo est causa efficiens patris aut filii.

934 I Cor. 3,16. 942 Aug. De Trin. VI, 5,7 *apud* P. Lomb. I, 10,2,5. 951
 Hilar. IX, 48 *apud* P. Lomb. I, 32,3,3 & I, 42,3,5.

- 965 notio, qua sacrum procedit de Patre Pneuma. Notio per nomen istud 'processio', sicut significatur, ita supponitur; at licet ipsam significant alia, sicut 'dilectio', 'donum', tantum personam supponunt Pneumatis almi.
- 970 Copulat usiam nomen 'donabile', sicut uerbum 'donatur'; sed 'donum' congruit almo Spiritui tantum, uelut appellatio quaedam. Ut designatur per 'nasci' notio Nati, sic per 'nascibilis', cum tantum congruat ipsi,
- 975 ut sit nascibilis, qui tantum est de Patre natus. Cum sit in usia sacra monas, copulat 'unus' usiam, quando substantium sibi iunctum copulat usiam; sed quando iungitur 'unus' (aut aliud nomen numerale, uelut 'duo' uel 'tres')
- 980 cum personali, numerali nomine tantum congrua personis distinctio sola notatur. Substantiuatum per se non copulat 'unus' usiam, siquidem personae tres, licet unus sint Deus, et quamuis sint unum, non tamen unus,
- 985 ne demonstretur usia per 'iste' uel 'ille' eiusdem generis, cuius cognoscitur esse et partituum, quod sic descendere gestit: si demonstrari tali pronomine posset communis deitas personis omnibus, ille
- 990 et Pater et Genitus et sanctus Spiritus esset,
- 17v esset et ipse Pater, qui Natus, qui Dator almus; sed tales sacrae scripturae respuit usus, qui semper magni consuevit ponderis esse. Si tamen usiae nomen 'Deus' 'ille' sequatur
- 995 pronomem uel 'qui' nomen, ratione careret, si non usia posset per utrumque referri: hinc, sicut uere conceditur haec 'Deus unus

973 nasci *RI*: naci *Rac*

988 Si *Rpc*: Si. *Rac*

966 *sch. R2* Nomina personalia supponunt personas et significant notiones, ut hoc nomen 'pater' supponit personam patris et significat paternitatem. Nomina notionalia supponunt notionem et significant notionem, ut 'paternitas, filiatio, processio'.

- est tres personae', sic 'est Deus unus, et ille est tres personae' satis admittenda uidetur.
- 1000 Inuenies tamen usiam quandoque per 'ille' et 'qui' supponi, licet hoc nomen 'Deus' ipsa non praecedat (ibi: 'sit uirtus et decus illi, qui supra caelos existit trinus et unus'); sed licet improprie scripturae tradita saepe
- 1005 propter scripturae iustum tolerentur honorem, non tamen extendi, quasi sint imitanda, merentur.
- Non Deus est triplex, cum sit substantia simplex et non composita; trinus tamen est Deus unus; nec designatur deitas hoc nomine 'trinus',
- 1010 nec personalis distinctio, cum neque trina sit persona, neque deitas distincta sed aequae semper communis personis omnibus extet; tantum significans intellectum docet intrinsecas mentes, usiam personis in tribus unam.
- 1015 Si designaret deitatem haec dictio, trina esset persona, cum sit substantia trina; innuitur tantum distinctio, non ibi circa suppositum, sed personas, quae sunt Deus et sunt suppositum, sed non supponuntur tamen ipsae.
- 1020 Haec 'tres personae sunt trinae' falsa probatur, 18r cum sit distribuens uehementer dictio 'trinae' et uellet trinam personam quamlibet esse.
- Affirmant quidam, quod personale sit istud nomen 'persona', supponens et sine forma
- 1025 omni significans personam, non tamen unam discrete, ut proprium constat supponere nomen. Omnis persona, sicut descriptio tradit, est indiuidua substantia; nec quia tres sunt personae, tamen usiae tres esse probantur,
- 1030 personae siquidem tantum descriptio nomen

1002-03 Hymnus "Iste confessor" strophæ 6 (Analecta Hymnica 52 p. 198). 1027 sch. R2 Descriptio personae secundum Boethium: persona est rationalis naturae indiuidua substantia. (*Boethius, Contra Eutychem et Nestorium, III (PL 64: 1343C)*). Indiuidua, id est incommunicabilis et non ualens uenire in constitutionem alterius.

- hoc habet improprie sumptum 'substantia', sic ut personas etiam supponat; quando seorsum ponitur, acceptum proprie supponere dictas personas nequens, tantum per propria transit.
- 1035 Hoc 'indiuia', quod habet descriptio, nomen usiam remouet, quae non distinguitur, immo est in personis communiter omnibus una; praeterea remouet animam, cum corpore iungi, ut quid constituent sibi consociata, ualentem.
- 1040 Hinc non assumpsit 'personam' Filius, in quo non extans per se natura assumpta remansit. Ad describendum personam sic solet istud exponi nomen; alias essentia simplex est 'indiuia', per partes nescia scindi.
- 1045 Primo personis tantum theatralibus, inde usiae, tandem personis, quae Deus extant, hoc conuenisse nomen 'persona' sciatur. Affirmans, istud nomen 'persona' secundum usiam dici, pater Augustinus, idemque
- 1050 Plasti personam quod iustum siue benignum
18v esse, statum medium respexit nominis huius. Aut Augustinus tantum respexit ad illud, quod consignificat hoc nomen, quod sonat 'unum per se'; colligiturque usia notata per 'unum',
- 1055 proprietates per 'se' quoque distinctiuas notatur. Est a comoedis hoc nomen siue tragoedis tractum, per quorum uocem formamque notantur discernens atque discretum, quae duo clare declarat personalis descriptio nota:
- 1060 'est indiuium discretum, quod ratione pollet'; non dubium, quin et discernere possit. Non 'Deus' hoc nomen transsumi debuit, ut tres (sicut 'persona') personas significaret, cum, ne dicantur 'di plures, sed Deus unus',
- 1065 semper seruanda diuina lege uetetur;

1031 sic *Rpc?*: ? *Rac*

1039 consociata *RI*: constituata *Rac*

1053 consignificat *RI*: significat *Rac*

- sed nec transsumptum fuit hoc 'essentia' nomen,
 ne tres personae sic censerentur habere
 usias uarias; est significatio tantum
 nominis expressa, quod talis surgeret error,
 1070 si talis pariter transsumptio nominis esset.
 Non 'Pater' et 'Genitus' et 'sanctus Spiritus' ista
 nomina clauduntur uelut inferiora sub isto
 nomine 'persona'; licet et Pater et sacer eius
 Filius et Pneuma sacrum persona sit, et tres
 1075 personae tres sint Pater et Noys et Dator almus,
 et sic supponat istud communius illis,
 non tamen est illis recte communius, ex quo
 illa relatiua sint, uerum nulla per istud
 proprietate nullaue relatio prorsus habetur.
 1080 Hinc constat Patrem non proprietate manere
 19r personam; sed nec deitate; relinquitur ergo,
 personam nullo personam existere, sicut
 nec Petrus est aliquo Petrus uel quilibet alter.
 Proprietate Pater 'generat', 'distinguitur', et non
 1085 'est Pater' aut 'ista persona', 'Pater' nisi nomen
 istud ponatur adiectiue, quia, sicut
 proprietate Pater 'generans', sic et 'Pater' extat.
 Si, cum supponat personam, copulet istud
 nomen 'persona' deitatem, quod deitate
 1090 sit persona Pater, sequeretur; et inde negandum.
 Conuenit aeternis personis atque creatis
 aequiuoce nomen istud 'persona'; nec inde
 more creatarum de Christo dicitur, etsi
 Christus, ut aeterna, sic sit persona creata.
 1095 Nominis istius non significatio coepit
 ipsi congruere, quando regnans Deus esse
 coepit homo; nulla fuerat mutatio facta
 circa personam, sed, quae fuit ante, remansit.
 Non tribus aeternis personis accidit unum,
 1100 quod de personis dictum 'persona' creatis

1078 sint *R*: sunt *Gz*

1085 pater nisi *R(2)*: ? *Rac*

1086 istud *R(2)*: illud (?) *Rac*

1093 creatarum *R2*: ? *Rac*

- significat: quare satis aequiuocatio lucet;
 sed cum permaneat eadem descriptio, siue
 de tribus aeternis dicatur siue creatis,
 dicitur uniuoce, si significatio possit
- 1105 tantum communis sumi, possitque relinqui,
 quod consignificat de solo plasmate dictum.
 Omnibus improprie dictis 'est' dicitur, etsi
 non proprie, minus improprie de Plaste perenni,
 cuius solius est immutabilis, ut nec
- 1110 mutari possit, essentia, nescia motus,
 19v et prorsus simplex, quia partes non habet instar
 corporis aut animae, nec formas suscipit instar
 subiecti, sed habens in se Deus est, quod habetur.
 In se quicquid habet Deus, est Deus: inde Creator
- 1115 est deitas, pietas, prudentia, quas habet in se;
 cum sit iustitia melior iusto, quia causa
 effectui, si non sua Conditor optimus orbis
 esset iustitia, nullatenus optimus esset;
 cui non est aliud existere siue perennem
- 1120 siue creatorem quam iustum siue benignum,
 non quod dicta tamen eadem sint, sed quod in illis
 omnia significant deitatem nomina dictis;
 hoc Augustinus scribens aperire satigit.
 Sed non est anima sic simplex, ut sua sit spes
- 1125 uel sua sit pietas uel quaeuis sit sua uirtus,
 quae tamquam partes uirtutes colligit in se,
 quamuis dicatur respectu corporis esse
 simplex, existens in toto corpore tota. -
 Nec consignificat 'est' tempus, ne Deus esse
- 1130 coeperit, initium cum tempus constet adeptum;
 inde tamen uerbum remanet, quia copulat instar
 uerbi, proficiens ui tali, quatenus ipsi
 nomine coniuncto perfecta oratio surgat;

1101 quare R2: ? Rac: qua re Gz

1112 aut R1: et Rac

1125 sua R1 s.l.: om. Rac

1132 ui R2: in Rac

- in 'fuit' est aliter, quoniam, cum dicitur 'Auctor
 1135 orbis ab aeterno fuit', hic consignificatur
 tempus, quodque Deus tempus praecesserit omne.
 Est generare Patris interdum 'dicere' Patris
 siue 'loqui' siue 'proferre'; sed euenit illud,
 quando subsequitur accusatiuus, ut illic
 1140 'eructauit cor uerbum', non quando datiuus,
 20r ut 'dixit Dominus Domino', quia littera psalmi
 'a dextris reside' poni non sustinet illic
 'dixit' pro 'genuit'; quare per 'dixit' oportet
 ut designetur deitas, non notio, quamuis
 1145 notio per 'dixit' non designata notetur;
 nam talem sensum reddunt haec tria prophetae
 uerba: 'Pater Subolem generando contulit illi,
 quatenus a dextris sedeat potioribus utens'
 (sedit ab aeterno fretus potioribus, at tunc
 1150 sessio collata est, quando patefacta refulsit);
 non dicebat idem Genitori Filius, etsi
 hoc uerbum 'dixit' deitatem copulet, ex quo
 proprietas Patris ibi distinctiua notatur. -
 'Fiat lux! dixit Deus': hic non sola notatur
 1155 notio, sed deitas per 'dixit' significatur,
 est siquidem sensus: 'Genitor, qui permanet auctor,
 illi, quem genuit, dedit, ut per eum fieret lux'.
 Non, ut ab aeterno genuit, sic Conditor orbis
 'dixit' ab aeterno 'fiat lux!', ne, uelut auctor
 1160 temporis, initio tempus caruisse probetur;
 'dixit' per 'genuit' tamen Augustinus ibidem
 exposuit, sed, quod deitatem copulet illud
 uerbum, transiuit quasi notum, quodque notetur
 proprietas, notum minus explanare uolebat:
 1165 ex intellectu totali saepe magistri
 exponunt dubiam partem, notamque relinquunt,

1143 pro genuit *Gz(praef)*; progenuit *Gz(txt)*: progenuit uel pro genuit *R* || quare (?)

R2: quasi (?) *R1*

1162 illud *R1*: istud *Rac*

1140 Psalm. 44,2. 1141 Psalm. 109,1. 1161-62 Aug. De Gen. ad Litt. II, 6,13 necnon I, 2-6, unde Gl. Ord. in Gen. 1,3 hausit; cf. *commentarium nostrum*.

et propter partem tradunt et uera fatentur,
 quae tamen intuitu totius falsa probantur.

- Non est 'audire' Geniti uel scire uel esse,
 1170 quamuis dicatur, cum significatio sola
 20v usiae sit eis communis, notio uero
 per solum 'audire', non 'scire' uel 'esse', notetur;
 dicitur audire, quae percipit a Patre, Christus;
 se manifestando se dicitur esse locutus.
- 1175 Dicitur inde loqui donorum Spiritus auctor,
 quod fari doceat homines tribuatque loquelam;
 hoc a Patre tamen habet et de compare Nato:
 inde loquebatur in sanctis atque prophetis,
 quod, quid proferrent, Deus inspirauerit ipsis.
- 1180 Tres sibi dixerunt personae, quando per actum
 communem placitum commune fuisse docebant.
 Haec uox audita 'dilectus Filius extat
 iste meus' non uox prolata animalis ab ore
 extitit, immo sonus formatus in aere tantum;
- 1185 est Moysi tantum Plastes per plasma locutus,
 quod, post iniunctum quam consummauerat actum,
 est in materiam, de qua fuit ante, reuersum:
 sic in materiam subito rediere priorem,
 officiis ante completis, stella magorum
- 1190 ac, in qua sacrum descendit Pneuma, columba.
 Ut subsistentem deitatem copulat istud
 nomen 'iustitia'; sed 'iustus' copulat ipsam
 sicut inhaerentem: quare contingit, ut 'esse
 iustitiam' non sit, sed ab ipso differat, 'esse
 1195 iustum'; non unum dictum sed sunt duo, quamuis
 solam significet deitatem nomen utrumque,

1167 uera *Rpc*: uere *Rac*

1171 eis *RI*: eius *Rac*

1186 quam *Gz*: quem *Rpc*: q̄m (?) *Rac*

1194-95 iustitiam — quamuis *R2* in *ras.*: ? *Rac*

1195 non — sunt *Gz(app)*: non — sint *R*, *Gz(txt)*: nec — sint *Gz(app)* [nec *propter*
metrum reicimus]

1180 Gen. 1,26. 1182-83 Matth. 3,17; Luc. 3,22. 1185 Exod. 3; 19; 33.
 1186-90 P. Com. 6 (PL 198: 1060B-C). 1189 Matth. 2,2. 1190 Matth.
 3,16; Marc. 1,10; Luc. 3,22; Ioh. 1,32.

- ac utrumque notet effectum prorsus eundem.
 'Esse Deum fortem' non est tamen 'esse perennem':
 nam designatur deitas hic fortis, et illic
 1200 ut durans, quamuis hic illic sicut inhaerens;
 21r sic uarie uaria uariat uariatio dicta.
 Non 'est iustitia Deus et clementia', quippe
 esse Deum plura coniungens copula uellet;
 ac tamen 'est iustus et clemens': nomina quippe
 1205 adiectiua nihil supponunt, quae duo uere
 propter diuersos effectus copula nectit.
 Nec tamen 'aeternus Deus est et maximus', ex quo
 copula non aliqua reperit, quae iungere possit,
 nec magis 'est iustus et summus': non sibi iungi
 1210 adiectiua nisi consignificantia debent;
 non consignificat hoc nomen 'summus', et inde
 non iungi debent hoc nomen 'iustus' et ipsum.
 Cum nihil in Plaste, quod Plastes non sit, haberi
 possit, nulla manet in Plaste relatio: quamuis
 1215 esse Deo similis homo, Plasti plasma, Perenni
 ad finem properans scriptura teste probetur,
 non 'Deus et Petrus similes sunt', cum nihil orbis
 accidat Auctori, Petrus nequeat Deus esse;
 non 'similis Deus est sancto Petro', neque 'iustus,
 1220 et talis Petrus', cum 'iustus' copulet et sic
 usiam, referat 'talis', quae non Petrus, immo est
 Petri saluatricis, sicut fuit ante creatrix.
 Quod referat 'talis' non hoc, quod copulat, immo
 quod consignificat 'iustus', plerisque uidetur,
 1225 et sic exponunt, quod iustus sit Deus, ut sit
 iustum iustitia faciens quemcumque creatum,
 et talis recte Petrus conceditur esse.

1226 quemcumque *RI*: quecumque *Rac*: quodcumque *Gz* (*hoc habere codicem post corr. arbitratus*)

LIBER III

- Si nihil a Genito Patrem distingueret, ex quo
illud, quod Genitus, Pater est, Genitus Pater esset;
- 1230 sic, quod proprietas sit distinctiua, probatur,
21v cuius non coepit, non est quandoque creata,
numquam deficiens essentia, nescia finis,
unde patet, quod sit diuina essentia tantum:
non, in personis nisi proprietas Deus esset,
- 1235 posset adorari, cum non duliae locus extet,
sed tantum patriae, quae soli est debita Plasti.
Patris proprietas Pater est, nec tollitur ipsi
simplicitas; anima, cum differat ipsius omnis
proprietas ab ea, non simplex ut Deus extat.
- 1240 Quamuis persona perpes sit notio perpes,
ista supposita numquam supponitur illa;
hinc nulla est alia de proprietatibus, etsi
insint quinque tribus personis, sicque necesse
sit tres personas illas existere quinque.
- 1245 Quamuis ex quinque tres unus sit Pater, una
non tamen est alia, sicut nec Filius inde
est Pater ipsius, quod sit Deus unus uterque.
Est et in usia bonitas; sed cum quid utrumque
supponat nomen 'bonitas', 'usia', necesse

1237 Patris *R(3)*: atris *Rac*

1246 nec *R1 s.l.*: om. *Rac*

1229 *sch.* Nota: si non essent notiones, non esset distinctio personarum, et si non esset distinctio personarum, quaelibet trium personarum esset alia, et sic pater esset filius et e converso, et filius esset spiritus sanctus et e converso. 1234-35 Praef. SS. Trin. 1234 *sch.* (personis) Nota. 1237 *sch.* Quasi dicens: pater est 'sua' paternitas, sic et filius 'sua' filiatio et spiritus sanctus 'sua' processio, et ideo simplex. 1238 *sch.* Anima non est sua uirtus, et ideo non est ita simplex sicut pater uel filius uel spiritus sanctus. 1241 *sch.* Exceptio (? : ex^o *R*, ut uidetur) est. 1243 *sch.* Quasi dicens: quinque notiones insunt tribus personis, ita et tres personae sunt quinque notiones, uel quinque notiones sunt tres personae.

1250 est, ut idem tantum nomen supponat utrumque,
ne duo principia, duo sint di, non Deus unus.

Non, sicut Genitor, sic gignit notio, quamuis
notio sit Genitor, cum non sibi possit inesse
proprietas aliqua, nec simplex esset alius

1255 susceptiua: uelut, cum formam suscipit in se
quaeuis materia, fit ibi concretio quaedam,
ut simplex nequeat, quod sic componitur, esse.

Quamuis proprietas seu notio sit Deus, omne
uerbum conueniens isti non conuenit illi:

1260 notio distinguit, sed non agit aut creat aut scit;

22r quod sic haec uerba ponantur, non habet usus,
ad quem praecipue debet respectus haberi;
at non distinguit, sed agit Deus et creat et scit
omnia, totius immensus conditor orbis.

1265 Ob tres personas est trinus, non tamen inde
propter quinque Deus est quinus proprietates.
Quae tres, distinctae sunt proprietatibus, unde
dicitur esse Deus trinus; quae quinque docentur,
non sunt distinctae, quare nec quinus ob illas.

1270 Ex dictis quinque tres est Pater, et tamen inde
non Pater est trinus, nec binus Filius inde,
quod de quinque duae sit Filius, e quibus una
communis Patri et Genito cognoscitur esse.

Non quia distinctae, dicuntur quinque, nec ipsas

1275 distinctas esse nomen numerale requirit;
sed tamquam numero subiectas innuit esse,
cum, quamuis numerus ipsis non possit inesse,
sic tamen a nobis numerentur, sicut inesset.

Sed, quas differre constat, qui iudicat esse

1280 distinctas, caueat, ne, quod quid copulet istud

1280 copulet *RI*: copul.t *Rac*

1252 *sch.* Notio, 'scilicet paternitas', est genitor et gignit, non tamen notio
gignit. 1259 *sch.* Notio est deus, tamen non omne uerbum quod conuenit deo

conuenit notioni, 'distinguere' enim conuenit [[deo]] notioni et 'agere'
deo. 1265 *sch.* Ecce propter unitatem substantiae est deus unus et propter trini-

tatem personarum est deus trinus, ergo propter quintitatem notionum est deus qui-
nus, quod falsum est. 1267 *sch.* Solutio argumenti. 1270 *sch.* Nota.

1274 *sch.* Nota.

- nomen 'distinctas', dicat, cum nulla perenni
 proprietas cuiquam de proprietatibus insit.
 Hic: 'Pater a Genito differt' nil copulat istud
 uerbum 'differt', nec de proprietatibus ullam
 1285 nec magis usiam, cum sit communis utrique;
 sic istud nomen 'alius' nil copulat illic:
 'est alius Pater a Genito', sed ponitur, ut, qui
 gignit, noscatur non eius Filius esse.
 Non est diuersus sed differt a Patre Natus:
 1290 exigit, ut non sit eadem substantia Patris
 22v et Geniti, nomen istud 'diuersus', in isto
 sensu de prisco doctorum more retentum;
 hoc uerbum 'differt', quamuis nil copulet, ut non
 sit Patris atque Noys eadem persona, requirit.
 1295 In deitate Pater cum Nato conuenit, unde
 'conuenit' hoc uerbum deitatem copulat; at nil
 copulat interdum, siquidem, cum spiret uterque,
 spirando Genitor cum Nato conuenit eius,
 quamuis ponatur pro proprietate notanda.
 1300 Quod Deus ob quinque dicatur proprietates
 quinus, qui trinus, licet unus, dicitur ob tres
 personas, iuste seruandus non habet usus.
 Quamuis a Petro Deus eius differat auctor,
 non Deus a Petro Petri distinguitur auctor,
 1305 ne sibi proprietates, quam uerbum copulat, insit.
 Aut deitate Deus a re distinguitur omni,
 non est distinctus tamen aut distinguitur umquam,
 cum sibi proprietates sic ostendatur inesse.
 Ad categoriam logicam non pertinet ulla
 1310 notio, nec species est ulla relatio talis,
 cum quid supponat speciei nomen; at eius

1283 Hic *Rpc* (*H minio*): *ic Rac*

1297 spiret *Gz*: spirat *R*

1307-08 umquam cum: *fort. aut* numquam cum *aut* umquam ut *scribendum*

1281 *sch.* Nota. 1289 *sch.* Hoc argumentum non ualet 'filius differt a patre, ergo filius est diuersus a patre'. 1293 *sch.* Solutio prioris dicti. 1301 *sch.* Quaestio quare deus non dicatur quinus. Nota: licet quinarius notionum sit in personis, non tamen personae sunt quinque, quia quinarius non est numerus personarum qui numerat personas. 1309 *sch.* Nota.

- non quid supponit nomen, ne proprietates
tres Pater existens esset tria, non Deus unus.
Non categorizat proprie (seu praedicat) ullum
1315 nomen uel uerbum dictum de Plaste perenni
uel de personis uel proprietatibus istis:
copulat improprie minus istic terminus omnis.
A nullo Pater est, a quo Noys et sacer Ignis:
sic innascibilem declarat notio Patrem;
1320 non haec proprietas est inde 'relatio' dicta,
23r quod quaeuis alia sit, quae respondeat ipsi,
hoc autem nomen, quia respectiua, meretur;
si responderet huic ulla relatio, plures
essent quam quinque, cum respondere duabus
1325 Patris non possit genitura, relatio Nati.
Quamuis a Patre sit et Imagine Spiritus almus,
a nullo Genitor sit natus siue creatus,
cum tamen a sancto sint Pneumate cuncta creata,
non, ut inest Patri praedicta relatio, sic et
1330 notio Spiritui sancto deberet inesse,
quae responderet praedictae proprietati.
Si de personis tantum tractatus habendus,
non, ut sunt alii de Patre, relatio posset
sumi de neutro quemquam procedere monstrans,
1335 ex quo de Genito procedat Spiritus almus.
Communis Patris et Geniti spiratio sacra
conuenit utrique, quia spirat et unus et alter;
isti non alia respondet notio: non, ut
ambo sacrum spirant Flatum, sic notio quaedam
1340 Nato Spirituique sacro deberet inesse
inde, quod a Patre procedat et unus et alter,
cum sit spirandi modus illis unus et idem,
at non procedat sic Filius, ut Dator almus.

1319 innascibilem R: innascibilis *malimus*

1323 responderet R2: respondent (?) *Rac*

1325 genitura R2: *genit.ra Rac*

1318 *sch.* Pater est a nullo etc.

1339 *sch.* Haec est uera 'pater et filius spirant spiritum sanctum'. Haec est falsa 'filius et spiritus sanctus procedunt a patre', quia uerbum semel positum tenetur acquiuoce.

- Hinc Augustinus attendens, quod modus unus
 1345 esset spirandi, scripsit, quod Pneumatis almi
 unum principium Gignens et Filius essent,
 sic adiective curans hoc sumere nomen
 'principium', ne pro Patre supponat neque Nato,
 ad quod nec fieri quaecumque relatio debet;
 1350 aut est hoc nomen complexium, modo iunctim
 23v supponens, modo diuisim: sic sunt simul unum
 principium, sic et Generans et Filius unum
 est quoque principium, licet unum non sit uterque.
 Quos duo principia spiratio non sinit esse,
 1355 quae designatur et congruit una duobus,
 quamuis procedat, ut scripsit Hilarius, almus
 Spiritus ex ipsis 'auctoribus', hoc tamen 'auctor'
 significet, quod 'principium'; sed sunt duo (Gignens
 et Noys) inspecti, qui supponuntur, at una,
 1360 quae designatur, (spiratio) prorsus omitta.
 'Principium' Geniti Pater est, sed non 'prior', immo
 designatur ibi perpes generatio Patris;
 quare non Geniti Pater est et Pneumatis almi
 principium, nec ea siquidem generat neque spirat,
 1365 quamuis aequiuoce semel Augustinus eodem
 nomine prolato noscatur taliter usus,
 ut sit principium Genitor Noys atque benigni
 Flaminis, at generans hanc et spirans Pater illud;
 sic est principium deitatis totius, ex quo
 1370 principium Geniti Pater est et Pneumatis almi,

1344-49 Aug. De Trin. V, 14,15 *apud* P. Lomb. I, 29,3,1. 1346 *sch.* (principium) Aequiuoce uel improprie, ita scilicet quod 'principium' teneatur adiective. 1350 *sch.s.l.* (hoc nomen) Principium. *sch.* Solutio magistri Alexandri n(...) (*Cf. praefationem*, § 4.1.4). 1351 *sch.* Complexiue coniunctim. 1352 *sch.* Diuisim, sed uidetur quod est falsum. (*Fieri potest ut hoc non sit nouum scholium, sed continuatio eius quod est ad 1351*). 1353 *sch.* Quasi dicens: et pater et filius est unum principium, non tamen principium unum est pater et filius. 1356-57 Hilar. De Trin. II, 29. 1357 *sch.* Hoc argumentum non ualet 'idem est principium quod auctor, sed spiritus sanctus <est> ex duobus auctoribus, ergo est ex duobus principiis'. 1363 *sch.* Argumentum: pater non est principium filii et spiritus sancti, quia ad ueritatem istius exigitur ut sit principium eodem modo, scilicet uel generans uel spirans. 1365-71 Aug. De Trin. IV, 20,29 *apud* P. Lomb. I, 15,9.

in quibus est plene deitas perfecta duobus.

Crebro 'principium' deitatem copulat: 'unum principium tres sunt personae', quippe Creator rerum principium rerum cognoscitur esse,
 1375 conditor aeternus nec ab aeterno tamen; immo, aptus ab aeterno, quae uellet, condere, rerum cunctarum factor in tempore condere coepit.

Principium cum sit inceptio, quamlibet esse personam sine principio patet, ut sine fine;
 1380 appropriata tamen haec appellatio Patri est:
 24r 'principium sine principio', quasi dictio sumpta, ad supponendum pro Patre periphrasis apta; sed, quando sicut oratio sumitur haec uox, non tantum Patri, personae conuenit omni.
 1385 Sic solus Genitus uice nominis obtinet, ut sit 'principium de principio', non Spiritus almus; quando compositum de partibus extrahit ista uox intellectum, non tantum Filius, immo principium de principio sacer est quoque Flatus.
 1390 Est Pater 'ingenita sapientia' solus, ut ipsi haec uox conueniat uelut appellatio soli, et solus 'genita sapientia' Filius eius; si non sumatur uelut appellatio quaedam, sed potius sicut oratio, tam Noys alma
 1395 quam sacer ingenita sapientia Spiritus extat.
 Quamuis egregiis sententia dicta magistris sederit, haud dubium, non inferioribus illam

1373 *sch.* Nota. 1378 *sch.* Argumentum: hoc nomen 'principium' idem est quod inceptio, sed nulla persona est inceptio, ergo nulla est principium. Item: quaelibet trium personarum est sine inceptio, ergo sine principio. Contra: filius est ex patre principio, ergo non est sine principio. 1381 *sch.* Idem est inceptio et principium, nulla inceptio sine principio, ergo nullum principium sine principio, non ergo pater est principium sine principio. 1383 *sch.* Ecce et pater et filius et spiritus sanctus est principium sine principio. sed non conuertitur (non c. *scripsimus*: nom ḡ .ur R, ut uidetur, sed *scriptura euanida est*: Gz nomen ergo oratio legit, uix recte). 1385 *sch.* Item solus filius est principium de principio, et alio modo et filius et spiritus sanctus est principium de principio. 1390 *sch.* Argumentum: solus pater est sapientia ingenita, non ergo filius aut spiritus sanctus est sapientia ingenita. Contra: idem pater est quod et filius et spiritus sanctus, <ergo et filius et spiritus sanctus> est sapientia ingenita.

- displicuisse uiris, tradentibus utile (quamuis
 non Deus, immo nihil prorsus sit notio talis,
 1400 nil sit proprietas) de proprietatibus esse
 ficticium, quo de personis possit haberi,
 etsi non satis aptus, sermo modusue loquendi.
 Sic personarum supponunt nomina, sed nil
 significant; uerba neque supponunt neque quicquam
 1405 designant, animo licet auditoris eorum
 notitiam de personis prolatio gignat.
 'Est proprium Patris, quod semper sit Pater': hoc sic
 exponunt: proprium non proprietate sed inde
 est proprium, quia, qui Pater est, tantum Pater extat.
 1410 Emphasis est tantum Generans 'generatio' dicta;
 24v sic et adoranda in personis dicitur esse
 proprietas, propter personas scilicet a se
 distinctas et adorandas semperque colendas;
 sic distinguuntur non proprietatibus ullis,
 1415 immo per esse Patrem Gignens a Prole perenni
 atque modo simili distinguitur a Patre Proles.

- Postquam plasmati sunt masculus et sua coniunx,
 ipsis subiecit subito Deus omnia, pisces
 et uolucres, iumenta, feras, repentia quaeque.
 1420 In tribus ergo fuit hominis praestantior ortus:
 quod quodam studio Plasmantis conditus, et quod
 signatus fuerit Auctoris imagine, quodque
 ipsi subdiderit animalia quaelibet Auctor,
 ut, quem post lapsum miserum praeuidit, haberet
 1425 uictum, uestitum miser auxiliumque laboris,
 cui prius in uictum fructus herbaeque fuerunt,
 terra nil sterile, nil producente nocium.
 At post peccatum prior est artata potestas,
 quatenus in solis mediis animalibus esset
 1430 nec premeret minima uel maxima quaelibet ultra;
 ut praestent media solamen, maxima monstrent,
 ex culpa quanta fuerit sublata potestas,

1407 Hilar. De Trin. XII, 23 *apud* P. Lomb. I, 26,3,2 & I, 33,1,5. 1411-12
 Praef. SS. Trin. 1416 *sch.* Finitur de notionibus. 1417-40 P. Com. 9 (PL
 198: 1063C-64B). 1417 Gen. 1,27. 1418 Gen. 1,28. 1425 Gen.
 1,29.

- designent minima, quibus est collata facultas
laedendi, quanta fuerit deiectio lapsi.
- 1435 Non animam tantum sed corpus imagine quadam
illustrasse sua rerum cognoscitur Auctor,
cum solus fuerit uultus sublimis honore
illustratus homo, quo caelum cernat et eius
sidera factoremque Deum speculetur in ipsis
1440 facturis et sic animetur ad eius amorem.
- 25r Immortalis erat praecedens uita ruinam,
quod moritura sine culpa nullatenus esset,
sed sustentanda fuerat nihilominus escis;
nunc immortalis cum non incurrere mortem
1445 uita beata queat, nullatenus indiget escis.
- Crescere praecepit Deus his terramque replere;
ad quod praeceptum sequitur coniunctio carnis,
quam licitam reddit maiestas summa iubentis,
quem praeter licitum nil constat posse iubere;
- 1450 quare coniugium Deus instituisse probatur,
et confutatur detestans catharus omnem
concubitum, cum coniugium Deus approbet auctor.
- 'Uidit', non oculis sed cognitione, 'Creator
omnia, quae fecit, et erant ualde bona cuncta',
1455 connumerata simul, non autem singula per se;
sicut plus oculus in fronte nitet, minus extra,
quae seiuncta minus, plus possunt iuncta ualere,
saepe bonis augent bona consociata ualorem:
sic bona simpliciter sunt singula, sunt bona ualde
1460 omnia iuncta simul, summe bonus Auctor eorum.
Non hominem Deus esse bonum uidisse refertur,
quamuis hoc aliis rebus fecisse legatur;
sed uel causa fuit hominis uicina ruina,
uel perfectus homo non est reputatus, adusque
1465 adiutrix eius de costa surgeret uxor.
(Multa prius Moyses scribens de coniuge narrat,

1433 designent *Rpc*: designant (?) *Rac*

1451 cattarus *R2*: tartarus *Rac*

1455 autem *R(1)*: ante *Rac*

quam describendo declaret coniugis ortum.)

- Omnia complectens mundana leuissimus orbis
 nec potuit stare nec in anteriora moueri,
 1470 sed circumferri per gyrum coepit ab ortu.
 25v Cuius prima diem fecit reuolutio primam,
 in qua lux ignis descendit in aera, partes
 illustrans superas; et ea mediante calorem
 in terris et aquis facit ignis, in aere numquam,
 1475 si non spissetur ex inferioribus aer.
 Sic calor immissus suspendit aquas quasi nubes:
 quid nubes, quid aquae calidae fumus, nisi quaedam
 guttae subtiles, in quas natura caloris
 soluit aquas sursumque leues super aera tollit?
 1480 Huius si fuerit uirtus uiolenta caloris,
 guttarum turba transibit in aera purum,
 et, si guttarum fuerit modicus calor, in se
 concurrent, donec pluuiam coniunctio gignet;
 si constringantur uentorum flatibus, omnes
 1485 in niue descendunt tenues, in grandine grossae.
 Sic firmamentum medius fuit aer aquarum,
 firmans suspensas, ne delabantur ad imas;
 uel terram firmat, ex omni parte coercens
 ac in durtiam multa leuitate reducens:
 1490 ex stabili terra subsistit mobilis aer,
 et stabilem terram constringens efficit aer.
 Altera dum fieret reuolutio, talis aquarum
 per firmamentum diuisio facta probatur.
 Sic aqua decrescens tamquam collecta resedit
 1495 per ualles, et sic apparuit arida tellus,
 quae uim concipiens gignendi, dum calor ignis
 nuberet humori, cum lignis protulit herbas;
 his ornata fuit reuolutio tertia rebus.
 Corpora stellarum reuolutio quarta recepit.

1470 girum *Rpc*: guum *Rac*

1471 fecit reuolutio primam *R2 in ras.*: fecit primam *Rac*

1483 pluuiam *Gz*: pluiam *R(1)*: plurem (?) *Rac* || coniunctio *Rpc*: coniuncm̄
Rac || gignet *R*, *Gz(txt)*: gignat *Gz(abb)*

1487 delabantur *Gz*: dilabantur *R*

- 1500 Materiam stellis aqua praebuit; ipsa calore
 26r extolli potuit, non terra; sed ignis et aer,
 quamuis sublimes, nullis obtutibus obstant;
 frustra dirigitur uisus quocumque sagitta,
 si terrae uel aquae corpus quodcumque ferire
 1505 non queat et mentis oculis ostendere praedam;
 si supra terram discerni non queat aer,
 purior in caelo spectari quomodo posset?
 hinc aqueum stellas comparet corpus habere.
 Formatis stellis, postquam coepere moueri,
 1510 ex motu crescens in aquam descendit ut ante
 factus uitalis calor, humorique calore
 mixto sunt uolucres pariter cum piscibus orti,
 sicque diem quintum reuolutio quinta peregit.
 Post calor, humore tendens mediante deorsum,
 1515 fecundans terram quaeuis animalia terrae
 fecit eam de se sexta producere luce.
 Qualiter haec iuxta physim subsistere possint,
 sufficiat breuiter de sex dixisse diebus.
 Fecit, disposuit, ornauit: taliter ergo
 1520 caelos et terram perfecit talibus Auctor;
 uel quia senarius de primo limite primus
 extat perfectus, numeri ratione Creator
 in sex perfecit caelos terramque diebus,
 non ut opus numerum perfectum redderet, immo
 1525 perfectus numerus perfectum redderet illud.
 (Is solus numerus, quem complent insimul omnes
 multiplicatiuae partes, perfectus habetur.)
 Ut tamen Hebraei testatur littera libri,
 septimus ille dies fuit, in quo Conditor orbis
 1530 consummauit opus. Sed qualiter ergo quieuit
 26v a quouis opere, quod patrarat? sed eodem,
 quo compleuit, post cessans patrare quieuit?
 Ipse dies nec non benedictio sacra diei,

1503 frustra *Gz*: fustra *R*

1521 senarius *R(I)*: sennarius *Rac*

1533 diei *Rpc*: d.i *Rac*

- ultima pars operis, facti sunt ante quietem;
 1535 aut nil patrando completum, quod prius egit,
 demonstrauit. Item requieuit, non quasi fessus,
 immo nouas species desistens condere, quippe
 tunc minime fecit, quod factum non fuit ante
 aut in materia, sicut quae corpora gestant,
 1540 aut forma simili, quales animas liquet esse
 omnes, ex nihilo similique tenore creatas;
 uel, quia non eguit rebus, requieuit ab illis;
 uel, quia mutatur omnis factura, quieuit
 eius respectu Deus, immutabilis in se.
- 1545 Quaedam sex primis minime patrata diebus
 insinuat textus Genesis post esse patranda:
 'fecit, disposuit, ornauit'; quae tria tantum
 Auctor patrauit, sed post requieuit ab illis;
 est et opus quartum, per quod fit ubique propago,
 1550 quod post incipiens numquam patrare quieuit;
 est et opus quintum, melius recreare creatos;
 est recreatorum quoque glorificatio summum.
- Huius postremae benedictio sacra diei
 sanctificatio sola fuit; quia septima semper
 1555 sancta fuit celebrisque dies et semper ab ortu
 orbis habebatur uenerabilis, unde iubetur
 in ueteri lege seruari sabbata sacra.
- Haec caeli terraeque fuit generatio prima,
 perfectumque fuit uirgultum quodque, priusquam
 1560 cresceret, ac herba quaeuis perfecta, priusquam
 27r germina proferret crescendo tempore longo
 auxilio roris infusi siue laboris
 humani, tandem pigrum mittentis ad ortum;
 quippe nec ante pluit, nec tellus ante laborem
 1565 senserat humanum, sed fons ascendit, et ipso
 tota rigabatur per partes terra uicissim
 (sic sine diluuiio fons terram diluit omnem);
 uel plures fontes tunc ascendere uicatum

1556 iubetur R2: iubentur (?) Rac: iubentur Gz

1560 queuis R2: quamuis (uel quemuis) Rac

1553 Gen. 2,3. 1558-70 P. Com. 11 (PL: 198: 1065C-66A).
 2.4. 1559-65 Gen. 2.5. 1565-66 Gen. 2.6.

1558 Gen.

- per uicina loca terrae, non quaelibet: inde
 1570 indefinite 'fons' ponitur et sine signo.
 Talis erat primi plasmatio prima parentis:
 plasmavit Dominus hominem, sed non nisi corpus,
 de limo terrae; uitae spiramen in eius
 post inspirauit faciem, per quam, quia pars est
 1575 dignior, accipitur totum corpus, quia uitam
 totum, non sola facies animata, recepit.
 'Uitae spiramen' animam designat; ab illa
 uiuens spirat homo; quae 'uiuens' dicitur in se,
 uiuit enim per se de carcere libera carnis;
 1580 sed moritur pecudis pariter cum corpore flatus.
 Non inspirauit cum faucibus; immo uolendo
 spiramen fecit Deus infuditque creando.
 Nec de se fecit animam, peccare potentem,
 immo de nihilo, ut caelum terramque, creauit.
 1585 Corpus de limo plasmavit, ut, unde fuisset
 plasmatus, recolens homo, sicut origine uilis,
 sic humilis fiat pellens a corde tumorem.
 Hic primo 'Dominus' Deus appellatur, eo quod
 ante laborantem seruum non fecerit; ante
 1590 angelus est factus, seruit tamen absque labore.
 27v Factus erat statim protoplastus adultus in ortu,
 et uir erat, tamquam multis creuisset ab annis
 et pertransisset aetatem quamque priorem
 is, qui nec iuuenis nec erat puer ante nec infans.
 1595 Cuius materia pariterque locus fuit ortus
 terra Damascena; Paradisi uenit in hortum
 translatus, plantis aptatum a tempore primo,
 quo fructum faciens apparuit arida tellus,
 et prima uersus Orientem parte locatum
 1600 mundi, deliciis plenum, nullius egenum,
 quod iuuet aut uisum pascat, longaque remotum

1581 faucibus *K*, *Gz*: fautibus *R*

1582 spiramen fecit *RI*, spiram.f in scribendo ex spiramnt (= spirament) facta

1587 fiat *R*, *Gz*: an fieret scribendum ?

1571-84 P. Com. 12 (PL 198: 1066B-C). 1571-76 Gen. 2,7. 1588-89 P.

Com. 12 (PL 198: 1066B). 1591-94 P. Com. 12 (PL 198: 1066D).

1595-619

P. Com. 13 (PL 198: 1067A-68A). 1596-97 Gen. 2,8.

- a nostris oris; qui tantum surgit in altum,
 ut celso corpus lunare cacumine tangat:
 hinc, quamuis montes alios transcenderit omnes,
 1605 non tamen ascendit aqua diluuiialis in illum.
 Omne Deus lignum, gustanti suaue, uidenti
 pulchrum, produxit in circuitu; sed in horti
 ipsius medio duo nobiliora locauit:
 unum, quod lignum uitae censetur, adeptum
 1610 nomen ab effectu, quem naturaliter in se
 seruat; nam fructus ipsius saepe comestus
 sic manducantis uitam conseruat, ut ipsam
 non dolor aut languor aut aetas tollere possit.
 Alterius ligni fructus bona sola scientes
 1615 post gustum poena fecit mala scire secuta;
 quam sit grande malum diuinum soluere iussum
 et quam grande bonum seruare, docebat edentes
 ultricis uetiti gustus inflictio poenae;
 euentus ligno nomen dedit iste secundo.
 1620 Egre diens fluuius Paradisi ligna rigabat
 28r humorem praestans et flumina quatuor ex se
 producens. Prodit 'oris mutatio' Phison:
 permutans propter loca permutata colorem
 nomen deponit primum, Gangesque uocari
 1625 incipiens, ubi mons exsurgit Caucasus, Indos
 auri praediues fuluis locupletat harenis;
 de matrice Gihon etiam procedit 'hiatus
 terrae', qui Nilus dictus, qua prominet Atlas,
 Aethiopum calidos humoribus irrigat agros;
 1630 aequiuocatus item 'celeri' Tigris celer exit,
 transit ad Assyrios nomenque reseruat ubique;
 frugifer egreditur Euphrates, quem probat ex re
 nomen sortitum Chaldaea, licet, quod in illam
 transiret, Moyses pertransierit quasi notum.
 1635 Ex uno fonte Paradisi quatuor ista

1608 ipsius: in *add. & exp. R1*

1609 unum: locauit *add. & exp. R1*

1626 harenis *Rpc*: arenis *Rac*

1606-19 Gen. 2,9.
 Gen. 2,10-14.

1620-39 P. Com. 14 (Pl. 198: 1068A-D).

1620-34

- flumina procedunt currentia singula per se;
 uerum post saepe coniunctim, saepe mouentur
 disiunctim, saepe sorbentur, saepe uomuntur
 a terra, quare uarie censentur oriri.
- 1640 Spirituum fuit obsequio uir primus ad istum
 hortum translatus, ut se recrearet, in ipso,
 quod delectaret, faciens opus absque labore,
 et custodiret ipsum Deus illud agentem,
 aut operans hortum custodiret, uel in horto
- 1645 hoc custodiret attendens, qualiter ipsi
 subdita seruiret tellus, ut disceret eius
 exemplo seruus Domino parere iubenti;
 uel Dominus seruo iussit duo: iussit agendum
 et iussit prohibens uitandum; debuit ergo
- 1650 in primo seruus operator, debuit esse
 28v in reliquo custos, uetitum uitare studendo.
 Ex omni ligno Paradisi iussit ut escam
 sumeret; ex uno iussit ne sumeret, illud
 omnibus excipiens lignis solum, quod edentes
- 1655 scire bonum pariterque malum facit; utque nociuum
 plus uitaretur, sub poena mortis acerbae
 illud curauit Dominus prohibere, futurae,
 in quacumque die fieret transgressio iussus.
 Iussio facta uiro fuit, ut mediante marito
- 1660 ad sociam lecti post pertransiret habendam;
 aut est facta simul ambobus, coniuge iussum
 praecedente, licet Moyses descripserit ante
 scripturae more iussum quam coniugis ortum
 (posterius saepe prius anteriore refertur);
- 1665 iussa creatura Domini subiecta ferebat.
 His gestis: 'Hominem solum non expedit esse;
 auxilium simile faciamus ei' Deus inquit.
 Istit innuitur uerbis diuina uoluntas

1652 Ex R, sed E a rubricatore omissam scripsit R2 uel R3

1656 acerbe R1, sed e finalis in ras.; utrum e erasa sit, an loco litterae erasae (a ?) posita sit, dispicere non possumus.

1640-65 P. Com. 15 (PL 198: 1068D-69B).

1640-43 Gen. 2.15.

1652-58 Gen. 2,16-17.

1666-84 P. Com. 16 (PL 198: 1069I-70A).

1666-67 Gen. 2.18.

- disponens, ut Adam subolem produceret ex se:
 1670 de simili simile tantum generatur; oportet,
 ut cum gignente genito natura sit una.
 Inde uoluntatis effectu, siue ministris
 spiritibus, duxit quaeuis animalia terrae
 et caeli uolucres ad Adam Deus, ut noua coniunx
 1675 inde uideretur ipsi plasmanda marito,
 quod sibi nil simile reperiri posset in ipsis;
 causa secunda fuit, ut cunctis nomina tamquam
 ipsorum dominus imponeret apta: sed illud
 in lingua fecit Hebraea, tempore primo
 1680 praeter eam solam non existente loquela.
 29r Aut hic dicuntur pisces 'animalia terrae',
 aut non adducti sunt pisces, unde uidentur
 nomina post quidam noti meruisse ferarum:
 inde lupo nemorum lupus aequiuocatur aquarum.
 1685 De cunctis simili nil apparente, soporem
 in primum misit hominem Deus et tulit unam
 de costis eius; tulit os cum carne, repleuit
 carnem de carne, repleuit os osse, repleto
 taliter utroque costam formauit in Euam.
 1690 Per se formauit, quamuis extractio costae
 angelico fuerit famulatu facta marito.
 Costam non auxit externo quolibet Auctor
 augmento; fecit, ut per se cresceret, instar
 panum quinque, quibus Deus auctis quinque refecit
 1695 milia, ne non ex costa sed adaugmate multo
 maiori posset censeri facta uirago.
 Sic impossibile nihil est, sic nulla repugnat
 inferior causa, quin, quae uult, omnia possit
 agnoscatque Deus, quae sit noua causa creanda,
 1700 cui cedat solitus naturae cursus et omnis
 inferior causa, qua, quae prius esse nequiuit,
 adueniente noua noua res procedat ad esse;

1676 reperiri Gz: reperit RI²: reperit (?) Rac

1692 Costam A³, Gz: Hostam R (H scripsit rubricator)

1672-78 Gen. 2,19-20. 1685-89 P. Com. 16-17 (PL 198: 1069D-70B); Gen.
 2,21-22. 1690-703 P. Lomb. II, 18,4-6. 1693-95 Marc. 6,30-44. 1697
 Luc. 1,37.

- uirgo nouis peperit causis ex prole creatis.
 Ille sopor missus in Adam fuit extasis, in qua
 1705 ad caelum raptus didicit uentura profundi
 consilii; secreta Dei praeuidit: utramque
 mundi iacturam, quod diluuius prior, igne
 esset posterior uentura; quod os Patris esset
 carnem sumpturus Deus ecclesiaeque futurus,
 1710 sicut consensu, sic una carne maritus
 29v atque redempturus pretioso sanguine nuptam.
 Hinc, postquam rediit ad se protoplastus et Euam
 de se plasmatam conspexit, dicere coepit:
 'Hoc ex osse meo nunc os, de carne mea nunc
 1715 est caro, diceturque uirago, de proprio quae
 sumpta uiro fuerat: ob quam rem' (quod sit ab ipso
 sumpta uiro; uel: propter quam nuptam) 'uir adhaerens
 uxori propriae patrem matremque relinquet.'
 Saepe uir, ut maneat cum coniuge, propter amorem
 1720 eius cum patre cum matre manere recusat,
 cui patre uel matre solet uxor carior esse;
 plus patre plus matre placet uxor saepe marito.
 Aut ob coniugium patrem matremque relinquet,
 cum prohibente Deo nullus uel ducere matrem,
 1725 ut sit coniugium, uel patri nubere possit.
 'Una iungantur duo carne', maritus et uxor;
 'una caro' uel opus unum carnale uocatur,
 uel caro gignendi pueri, quam sola duorum
 copula carnalis, maris et mulieris, adimplet,
 1730 ut de sanguinibus, non uno sanguine, manet.
 Aut sunt una caro, quod in alterius sit utriusque,
 in propriam neutri carnem collata potestas.
 Quosdam seduxit haec dictio 'nunc', prius unam
 de limo, sed post aliam de carne mariti
 1735 dicentes factam; sed eos errasse liquere
 cuique potest Moysi uigilanter scripta legenti.

1718 relinquet *RI*: relinquent *Rac*

1704-11 P. Com. 16 (PL 198: 1070A-B). 1711 I Petr. 1,18-19. 1712-32 P.
 Com. 19 (PL 198: 1071B-D). 1714-18 Gen. 2,23-24. 1724-25 Lev.
 18,7. 1726 Gen. 2,24. 1733-36 P. Com. 17 (PL 198: 1070B-C).

- Cum dormiret Adam, facta est subtractio costae,
 ut constaret eum nullum sensisse dolorem,
 ut compareret diuina potentia, per quam
 1740 solam costa fuit somno subtracta uacanti,
 30r ut typicaretur ueraciter in cruce Christi
 sopiti lateris redimendam sanguine sponsam.
 Unum principium cunctorum Conditor unus;
 unum principium patremque dedit Deus unum
 1745 humano generi, de quo procederet omnis
 in mundum uenturus homo; sed, quodque superbum
 detestans, humilem tanto ditauit honore,
 ut crescat Satanae confusio: quippe superbe
 ipse Deo cupiens similari, quatenus esset
 1750 principium per se, quo plus ambiuit honoris,
 plus est depressus, de summis lapsus ad ima.
 Non fuit ex capite, non ex pede facta mariti
 Eua, sed ex latere, quod ponitur inter utrumque,
 ne possit domina sua mancipium uideri,
 1755 sed potius socia, lateri socianda mariti.
 Ex anima quidam, sicut de corpore corpus,
 dixerunt animam traductam; sed patet error
 ipsorum: si non animata fuisset eodem
 Eua modo, quo uir fuit ante, modum sine causa
 1760 non neglexisset Moyses reserare nouellum.
 Uel quaeuis anima non est ex traduce, uel non
 est simplex, sicut, cum sit de corpore, corpus
 non simplex sed compositum de partibus extat.
 Constat praeterea, quod non traductio fiat,
 1765 quando celebratur carnis conceptio, nec post
 continuo, quia post naturae lege statutum
 tempus, quo manans in matrem de patre sperma
 in carnem primo solidatur, post quoque formam
 suscipit humanam, proles animatur; at eius

1744 principium R(2): principium Rac

1767 matrem R2: martem Rac

1737-42 P. Lomb. II, 18,3. 1743-51 P. Lomb. II, 18,1,2. 1752-55 P.
 Lomb. II, 18,2. 1756-71 P. Com. 17 (PL 198: 1070C-D); P. Lomb. II, 18,7.

- 1770 sic animam, forte post patris fata creatam,
30v quis sapiens dicet anima prodisse paterna?
 Plasmari mulier Paradisi coepit in horto;
 extra factus Adam translatus uenit in illum,
 ut non natura, non excellentior ortus,
- 1775 non potior sexus, sed ferret gratia laudem.
 Omnia diuina largitur gratia dona;
 non tantum meritis redduntur praemia, uerum
 largitur merita pariter, qui praemia praestat;
 Unde Dei pietas bona confert omnia gratis.
- 1780 Sicut de carne caro, sic de nomine nomen
 est sumptum: uelut hic 'uir', et haec est dicta 'uirago';
 sic et in Hebraeo sonat 'is' uir et 'issa' uirago.
 Nomen, quod medio defraudat syncopa, 'uirgo',
 quod proprium fuerat Euae, nunc omnibus illis
- 1785 est commune, quibus manet integra porta pudoris;
 quae fregit portam, non 'uirgo', sed quasi 'carnis
 mollitiem passa', 'mulier' de iure uocatur.
 Istud nomen 'Adam' 'rubeus' sonat; et 'rubra' tellus
 est in corpus Adae formata, puerque recenter
- 1790 natus quisque rubram carnem consueuit habere;
 quare, quod proprium protoplastus nomen habebat,
 nunc commune manet, homini nunc conuenit omni.
 'Eua' sonat 'uita'; quare fuit 'Eua' uocata
 mater uiuentis cuiusque futura; uel inde
- 1795 post culpam dicta fuit 'Eua', quod e! uel a! uoce
 promant lugubri, quotquot nascuntur ab Eua:
 e! quaeuis mulier et: a! quiuis masculus istam
 ingrediens lucem flendo proclamat, amaras
 aerumnas saeculi tristi maerore prophetans,
- 1800 cui tam sermonem quam sensum denegat aetas.
31r 'Ambo, licet nudi, non erubere'; pudorem
 nullus adhuc prauus foedaque libidine turpis
 membrorum motus incussit; ut absque pudore

1781 et R1 s.l.: et Rac (scribae et quod in contextu scripserat non placuisse uidetur)

1791 quod Gz: quidem R

1772-75 P. Lomb. II, 17,4.

1780-800 P. Com. 18 (PL 198: 1070D-71B).

1780-82 Gen. 2,23.

1793-94 Gen. 3,20.

1801-12 P. Com. 20 (PL 198:

1071D-72A).

1801 Gen. 2,25.

nuda manus, sic et genitalia nuda fuerunt:

1805 hinc uelare minus curabant, quae sine quavis
anxietate super se quamuis nuda ferebant.

Sic, quia non sentit nocuos in corpore motus,
non monstrare pudet infantem membra pudenda.

1810 quod sine peccato numquam contingere possit,
ni suffragetur excusatoria culpa
spes prolis, quamuis nequeat reseccare ruborem.

LIBER IV

- Ponitur historiae fundamentum prius, ut post
ipsius paries queat allegoria leuari
1815 moralisque superponi pro tegmine sensus;
aut intellectus hac spiritualis in aede
apponat tectum tamquam sublimior (unde
allegoriae non sic connumeratur ut ante),
interiusque domum moralis sensus adornet:
1820 quatuor his sacra tota rotis scriptura rotatur,
quas a se partes lector discernet acutus.

- Angelus ut caelum, sic est homo terra: supremus
angelus est, imus homo; spiritualis ut unus,
sic est corporeus alter; durabilis unus,
1825 corrumpi facilis uelocius oppetit alter.
Est et praelatus caelum, plebs subdita terra.
Quilibet est uacuu uirtute carens et inanis,
non faciens fructum. Tenebris uelatur abyssus,
quando cor excaecat hominis caligo reatus;
1830 et super illud, 'aquas' dictum, quia fluctuat in se
31v pacem non retinens, effertur Spiritus almus:
quippe potest illud a quauis labe lauare
et uitii tenebras uirtutum luce fugare.

- Lex est lux prima, sol gratia; praeco Iohannes
1835 lux, iudex Christus sol; lux est gratia, sol est
gloria; lux, cuius minor est ualor et prior ortus,
sol, cuius maior ualor est et tardior ortus.

- Significantur aquis populi, sanctique per illas,
quae supra caelum sunt, damnandique per illas,
1840 quae sunt sub caelo; quos omnes colliget unus
infernus, sicut collegit aquas locus unus.

- Sol Christus, siquidem sol mutuatur omnibus astris
splendorem, Christus homines illuminat omnes;
sol non mutatur, non decrescit neque crescit,
1845 immensus Christus manet, immutabilis in se.
Ecclesiam luna designat: luna nitorem
accipit a sole, uirtutum luce serenatur
ecclesiam Christus, uitiorum nube fugata;
semper habet luna maculam, semperque molestat
1850 ecclesiam poenae uexatio siue reatus;
conuenit utrique minui uel crescere semper.
Stellae significant operum splendore bonorum
fulgentes, toto dispersos orbe, fideles.
Per pisces reprobos, per aues intellige iustos:
1855 sicut aquas pisces, sic culpas, in quibus orti
sunt, pariter reprobi non linquunt; sicut in altum
exsurgunt uolucres ortusque sui loca linquunt,
sic iusti caelum scandunt culpasque relinquunt;
illi culparum squamis replentur, ab omni
1860 prorsus diuina cessantes laude, sed isti
32r uirtutum pennis repleti dulcia rerum
iugiter Auctori resonant praeconia laudis.
Primus homo Christum designat, femina prima
ecclesiam: quippe factus de uirgine terra
1865 primus homo est, natus de sancta uirgine Christus;
sic utriusque fuit ortus solus Deus auctor,
ut neuter quauis sorderet labe reatus.
Dum dormiret Adam, de costa prodiit Eua:
in cruce sopiti de Christi sanguine fuso
1870 per latus ecclesia fuit eius sponsa redempta;
sicut Adam regere subiectam debuit Euam,
sic regit ecclesiam Christus seruire paratam.

- Inceptae domui superest apponere tectum:
Spiritus est caelum moraliter et caro terra:
1875 spiritus ut caelum supereuolat, at caro pessum

1842-53 Alleg. I, 4 (PL 175: 638B-C); Gen. 1,14-18. 1854-62 Alleg. I, 5
(PL 175: 638C); Gen. 1,20-21. 1859-62 Sirach 15,9-10. 1863-72 Alleg.
I, 7 (PL 175: 639B-C). 1863-67 Gen. 2,7. 1868-70 Gen. 2,21-22. 1871-72
Gen. 3,16. 1874-91 Alleg. I, 2 (PL 175: 636A-37D). 1874-77 Gen. 1,1.

cum terra uergit; utrumque suo liquet esse
subiecto leuius, maioris utrumque ualoris.

Ut confusus erat, nec luce nec ordine pollens,
mundus, sic hominem culpae confusio priuat
1880 uirtutum luce uiuendique ordine recto.

Sicut lux tenebras in mundo facta fugauit,
sic uitii tenebras expellit gratia prima,
illustrans hominis diuino munere mentem.

Ut firmamentum diuisit aquas, ita pennas
1885 uirtutum, quibus alta polorum regna petuntur,
a squamis scelerum, quibus infernalis abyssus
intratur, prudens discretio diuidit, illas
amplectens, istas toto conamine uitans.

Sicut aquae fuerant collectae, sic, licet omnis
1890 extingui nequeat, aqua constringenda reatus.

32v Sicut aquis pressis aer clarescere coepit
et fructus terra producere, sic quoque pressis
peccatis animus hominis, iam liber ab ipsis,
cognitione Dei clarescit, amore calescit,
1895 et fructus operum producunt membra bonorum.

Per solem, lunam, stellas humana notatur
triplex cognitio, uarians ad cognita lucem:
ad caput, ad corpus, ad singula membra, fideles.

Pisces actiuos homines uolucresque figurant
1900 contemplatiuos: circa inferiora laborant
actiui, sursum pacata mente uolantes
contemplatiui rimantur gaudia caeli.

Humanos quinque sensus animalia facta
significant: quippe quaeuis animalia quinque
1905 sensibus utuntur; merito dicuntur oriri
sensus in nobis, quando reparantur ad actus
uirtutum, scelerum corrupti sordibus ante.

His ita dispositis, informis qui fuit ante
dissimilisque Deo per culpam, filius irae,
1910 fit per iustitiam similis, renouatur imago;

1878-80 Gen. 1,2. 1881-83 Gen. 1,3-4. 1884-88 Gen. 1,6-7. 1889-90
Gen. 1,9. 1891-95 Gen. 1,10-12. 1896-98 Gen. 1,14-18. 1899-902 Gen.
1,20-21. 1903-07 Gen. 1,24-25. 1908-10 Gen. 1,26-27. 1909
Eph. 2,3.

quem prius ecclesia, tamquam Paradisus abundans
deliciis uariis donorum, colliget, et post
caeli delicias Paradisus caelicus addet.

- Christus in ecclesiae Paradiso fons manet, a quo
- 1915 sic euangelia quasi flumina quatuor orta
circueunt mundum populorum corda rigando,
quatenus aeternae producant gaudia uitae.
Aut est ecclesia Paradisus, copia uero
laetitiae fluuius interna, quatuor autem
- 1920 flumina uirtutes sunt quatuor. Ordine primus
33r est in fluminibus 'oris mutatio' Phison,
prudenter uerba mutans prudentia uirtus,
magnis maiora reserans paruisque minora;
haec auri puri regionem circuit: aurum
- 1925 est disciplina uiuendi, quae quasi purum
fulget decocta terrenis sordibus aurum.
Uirtus illa Gihon, quae mores temperat: ipse
circuit Aethiopum terras terrenus hiatus;
haec absorbendo conamina fortia carnis
- 1930 infirmae reprimat taetrosque libidinis aestus.
Tigris ad Assyrios descendit fortiter: hinc est
fortiter aduersa tolerans ut prospera uirtus.
Euphrates quartus designat in ordine quartam,
iustitiam; sicut, quo transeat ipse, tacetur,
- 1935 sic animae partes haec uirtus respicit omnes,
nec definitae specialiter attinet uni:
iustum est prudenter animam discernere uerum,
iustum est, ut mores et carnis temperet aestus,
iustum est, ut toleret aduersum fortiter omne.
- 1940 Sanctos fructifera designant ligna, bonorum
gestantes operum fructus floresque salutis.
Est Christus lignum uitae, quia gestat edenti
aeternae fructum uitae; sed, quo mala sciri
coeperunt sicut bona, designatur aperte

1914 manet *R*, *Gz*: an manat scribendum?

1915 euangelia *RI*: euuangelia *Rac*

1911-17 Alleg. I, 6 (PL 175: 638D-39A). 1911-13 Gen. 2,8. 1914 Gen.
2,6. 1915-39 Gen. 2,10-14. 1921-22 Sirach 24,35. 1923 I Cor.
9,22. 1940-46 Alleg. 1,6 (PL 175: 369A); Gen. 2,9. 1942-43 Ioh. 6,52.

- 1945 cognitio iussus Domini, custodia cuius
nos sentire bonum facit et transgressio poenam.
Primi sex operi cessere dies, quibus omne
plastes fecit opus; hinc designatur in illis
hoc saeculum praesens, in quo nisi iusta serantur
- 1950 a nobis opera, uigilem poscentia curam,
33v non permansuram requiem sine fine metemus,
quam septena dies designat, post opus omne
Auctoris mundi sollemnis facta quiete.
Primam prima dies aetatem denotat huius
- 1955 saeculi, quae coepit ab Adam splendore nitenti
uirtutum, tenebris post obscurata malorum,
diluuii donec afferret uespera finem.
Ut firmamentum diuisit aquas, Noe firma
a pluuiis maria secernens arca natauit;
- 1960 inde secunda dies aetatem iure secundam
significat, cuius in principio quasi mane
effulsit iustus Noe, sed quasi uespera tandem
ipsam linguarum confusio dissona clausit.
Tertia lux sequitur, cui tertia congruit aetas:
- 1965 arida sicut aquis erepta die fuit isto,
ut fructum faceret, sic hac aetate per Abram
est a gentili populo discreta fidelis
progenies, fructus operum factura bonorum;
Abram mane; Saulque fuit quasi uespera peccans.
- 1970 Aetatis quartae sol Daud, luna prophetae,
et reliqui iusti uelut astra minora fuerunt;
peccatum regum fuit huius uespera, cuius
causa captiuam cepit Babylonia plebem.
In quinto saeculo coeperunt uiuere tamquam
- 1975 pisces inter aquas Iudaei, gentis iniquae
multis naufragiis mixti multisque periclis,
et tamquam uolucres, sine certa lege uagantes;
huius mane fuit aetatis ad otia lenis

1948 designatur *RI*: designantur *Rac*

1949 serantur *Rpc*: ferantur *Rac*

1950 poscentia *Rpc*: posscentia *Rac*

1974 saeculo *Gz*: seculo *R*

1947-87 Isid. Quaest. in Gen. II, 1-11 (PL 83: 213A-15A).

- captiui populi deductio, uespera grandis
 1980 eiusdem culpa nolentis noscere Christum.
 34r Sexto respondet post aetas sexta diei:
 sicut primus Adam de terra factus in illo,
 sic est alter Adam de uirgine natus in ista;
 sicut plasmati uir et ipsius uxor in illo,
 1985 sic est ecclesiae coniunctus Christus in ista;
 sicut praepositus animalibus omnibus ille,
 sic est praelatus cunctis uiuentibus iste.
 Antichristus erit istius uespera saeculi,
 uirtutum uacuum, uitiiis plenus, uia mortis,
 1990 trames peccati, necis orbita, methodus irae,
 perditionis iter, excessus strata, reatus
 semita, delicti limes, feritatis amator,
 nequitiae fautor, iuris desertor, iniqui
 cultor, honestatis oppressor, fellis abyssus,
 1995 culparum pelagus, scelerum mare, criminis aequor,
 inuidiae stimulus, liuoris spina, tumoris
 urbs, fastus turris, mons ambitionis, aceruus
 errorum, puteus fraudis, sentina dolorum,
 fons imposturae, torrens ad schismata praeceps,
 2000 hostis iustitiae, patronus seditionis.
 Post illucescet iocundum mane perennis
 luminis et pacis, quod uespera nulla sequetur.
 Aut est prima dies, qua mundi stella Maria
 prodiit in lucem mundi, feliciter orta,
 2005 ut tenebras omnes errorum luce fugaret
 monstrantis fidei, quae sit uia recta salutis.
 Illa secunda dies, qua uirginitatis honestae
 uotum firmauit animo sanctissima uirgo.
 Tertius ille dies, in quo est collata potestas

1981 sexta *R(1)*: sexto *Rac*

1983 sic *Rpc*: sicut *Rac*

1991 reatus: strata (?) *add. Rac*

1993 iuris *R1 in ras.*: ? *Rac*

2009 collata *R(2)*: pollata *Rac*

1997 *Cf.* Joh. de Hauv. Arch. IV, 9-145.
 13 (PL 83: 215B).

2001-02 Isid. Quaest. in Gen. II,

- 2010 uirgineae terrae florem producere Christum.
34v Solem iustitiae Christum lux quarta recepit,
 euentu quarta tantum, non tempore: quippe
 hora consensus statim de Pneumate sacro
 concepit uirgo, statim fuit eius in aluo
- 2015 Christus, perfectus homo perfectusque creator.
 Ille dies quintus, quo, quos elegit amicos
 Christus, erant quidam pisces quidamque uolucres:
 Infelix piscis tendens ad Tartara Iudas,
 felices uolucres caelestia regna petentes.
- 2020 Ille dies sextus fuit, in quo sanguis et unda
 de Christi latere fluxerunt, ex quibus uxor
 ipsius ecclesia formata fuit uelut Eua.
 Septimus esse dies praesens cognoscitur omne
 tempus, cui felix aptauit gratia nomen,
- 2025 quo Deus in corde sancti cuiusque quiescit.
 Dicitur hinc anima uirgultum, dicitur herba,
 quod uiuat uitaeque uigore uirescat, et inde
 esse super terram, quod eam terrena uoluptas
 pertrahat in culpam; dici patet inde, priusquam
- 2030 peccarent homines, caelos terramque creatos.
 Non peccauit homo, quare nec ei pluit imbrem
 doctrinae Dominus. Non est operatus homo quid
 in terra: nullus in sancta uirgine quicquam
 est operatus homo; uerum fons Spiritus almus
- 2035 ascendit terramque rigauit uirginis aluum,
 ut sic conciperet peccati nescia Christum.
 Ergo de limo terrae de semine Dauid
 formauit Christum Plastes in corpore factum,
 ac inspirauit uitae spiramen in illum,
- 2040 ut uiuens anima sciretur homo Deus esse.
35r Assumpsit carnem Deus humanam: tulit ergo

2017 pisces *R*, *Gz*: piscis *Raasted*

2029 patet *Go*, *Gz*: pater *R*

2040 sciretur: anima *add. & exp. R1*

2011 Mal. 4,2. 2026-36 Isid. Quaest. in Gen. II, 16-18 (PL 83: 215C-16A);
 Gen. 2,5. 2035-36 Is. 45,8. 2037-40 Isid. Quaest. in Gen. III, 1 (PL 83:
 216B); Gen. 2,7. 2041-63 Isid. Quaest. in Gen. III, 5-8 (PL 83: 216D-17C).
 2041-44 Gen. 2,15.

- sic hominem Deus; in Paradisum detulit illum,
ecclesiae caput efficiens, ut ab omnibus illam
gentibus electam custodiret. Pius inquit
2045 Omnipotens 'hominem solum non expedit esse':
credi non debet homo purus, sed Deus esse;
'fiat ei similis adiutrix', ecclesiamque
copulet Auctori medians susceptio carnis.
Nomen ut acciperet ab Adam sibi quodlibet aptum,
2050 signant adducta quaeuis animalia, gentes
quaslibet ad Christum fidei ratione uocandas
atque nouum nomen habituras omnibus aptum.
Nullus Adae similis adiutor erat; neque Christo
quis ualet aequari nec homo similis ualet esse,
2055 quantacumque bonus uirtutum luce nitescat.
In cruce sopiti Christi de uulnere tenso
infixo lateri fluxerunt sanguis et unda,
sacramenta, fide quorum producitur uxor
ipsius ecclesia, de Christo nomen adepta,
2060 quare Christicolae dicuntur quique fideles;
debet ab ecclesia tam credi passio Christi,
quae genus humanum de perditione redemit,
quam baptisma sacrum, mundans a labe reatus.
Quapropter Christus patrem matremque relinquens
2065 (patrem, comparens carnis mediante lucerna
humanis oculis, qui Patri non nisi, compar
in maiestate semper, comparuit ante;
matrem, proiectis synagogae ritibus) haesit
ecclesiae sponsae; quibus una caro manet: ipse
2070 est caput uxoris, corpusque est ipsa mariti.
35v Os fuit ex osse, de carne caro, quia sancti
sunt magis atque minus fortes in corpore Christi.

2045 non *RI s.l.: om. Rac*

2055 quantacumque *G^o, G^z: qua tatumque RI: qua tantumque Rac*

2060 quique *RI: quinque Rac*

2062 quae *G^z: quod R*

2045-48 Gen. 2,18. 2049-52 Gen. 2,19. 2053 Gen. 2,20. 2056-57
Ioh. 19,34. 2064-69 Eph. 5,31-32; Gen. 2,24. 2064 Ioh. 16,28. 2071-
74 Isid. Qu aest. in Gen. III, 9 (PL 83: 217C). 2071 Gen. 2,23.

- 'Eua' uocata fuit uiuorum mater, et Euae
ecclesiae uita est de carne et corpore Christi.
2075 Personam Christi gerit unusquisque fidelis;
hinc fit semper ei, quod fit cuicumque fideli.
In nobis Christus mandatum cepit, ut escam
ex omni ligno Paradisi sumeret, uno
excepto, cuius interdictus fuit esus;
2080 spirituales delicias haec ligna figurant,
quarum sunt fructus pietas deuota, quieta
mansuetudo, timor castus, moderatio iusta,
pax tranquilla, rigor humilis, constantia fortis,
recta fides, certa spes et dilectio feruens.
2085 Arbitrii medii naturam denotat arbor
in medio posita Paradisi: tangere lignum
et de natura nostra turgere uetamur,
ne mala nos doceat in poena culpa tumoris.

- Natura casuque uafes, quia Daemone plenus,
2090 serpens transcendit animalia cetera fraude.
Pulsus caelesti paradiso Lucifer arsit,
inuidiae flammis succensus et ad mala praeceps,
terrestri pariter hominem priuare; sciensque,
quod mandatorum transgressio sola nocere
2095 posset ei, metuens, quod Adam, uir prouidus, omnis
prudenter fraudis laqueos deprenderet, Euam,
inclinare leuem uerbis fallacibus aurem
et flecti facilem, quo fraudis pelleret aura,
in serpente caput humano more leuante
2100 uirginei uultus, ut sub uelamine formae
36r consimilis fieret ad fraudem promptior, Hostis
aggressus dixit 'Ut non ederetis ab omni
ligno, cur iussit Deus?' Edere talia serpens
aut intelligere non nouit; corporis hospes

2081 quieta *Rpc*: quietas *Rac*

2091 Pulsus *Th, Gz*: Fulsus *R* (*F scripsit rubricator*)

- 2073 Gen. 3,20. 2075-84 Isid. Quaest. in Gen. IV, 1-2 (PL 83: 218B-C).
2075-76 Matth. 25,40. 2077-79 Gen. 2,16-17. 2081-84 Gal. 5,22-23.
2085-88 Isid. Quaest. in Gen. III, 4 (PL 83: 216C). 2085-86 Gen. 2,9.
2089-116 P. Com. 21 (PL 198: 1072A-C). 2089-105 Gen. 3,1.

- 2105 obsessi linguam Satanas in uerba resoluit.
 Ut sibi, quod uoluit, dicendi grata daretur
 Euae responsis occasio, quaerere coepit;
 et sic euenit, quoniam responsio talis
 reddita 'Ne forte moriamur' praestitit Hosti
- 2110 spem persuadendi uetitum. Qui, flectere mentem
 non dubitans dubiam, confisus in arte nocendi
 dixit 'Nequaquam mortem gustabitis, immo
 uos eritis quasi di post esum, quippe scietis,
 quae bona sint et quae mala; quales noluit esse
- 2115 uos Deus, unde cibum solo liuore uetabat.'
 Eua, Deo cupiens similari, praebuit aurem
 pollicitis; cernens, quod delectabile lignum
 pasceret aspectum, tactuque notans et odore,
 quod pareret suauem gustantis in ore saporem,
- 2120 de ligni fructu sumpsit sumptumque comedit,
 dansque uiro suasit uerbis urgentibus esum.
 Uxorem mortem non incurrisse per esum
 miratus, credensque, quod intentata fuisset
 mors ad terrorem, metuensque, quod uxor, amore
- 2125 cuius flagrabat, non posset ferre repulsam,
 uxoris monitis uir paruuit atque comedit.
 Quorum sunt oculi, cum uir gustasset, aperti:
 nam perceperunt oculis, quae nuda ruborem
 ingerent, membra, nimis offendentia uisum;
- 2130 uel non carnales oculi dicuntur aperti,
 36v cum non extiterint clausi, uerum fuit unus
 spiritui motus carnis contrarius, alter
 eius cognitio: quia tales ante ruinam,
 quamuis repressi, motus in carne fuerunt,
- 2135 sed post peccatum subito coepere moueri
 instar aquae clausae, quae diffluit aggeri rupto.
 Sic et in infante clausos non sustinet aetas
 motus sentiri carnales, donec apertos
 pubertas nullo possit restringere freno.

2116 Eua K, Gz: Qua R (Q scripsit rubricator)

2109 Gen. 3,3. 2112-15 Gen. 3,4-5. 2117-44 P. Com. 22 (Pl. 198:
 1072C-73A). 2117-26 Gen. 3,6. 2127-65 Gen. 3,7.

- 2140 Cognosci subito uelut hostes atque tyranni,
 quos, cum grassantur, uiolentia prodit iniqua,
 erupti motus in eis coepere, rebelles
 spiritui, contra rationem saeua mouentes
 proelia, nitentes animam fraudare salute.
- 2145 Quam tamen impugnant, rationis iure subessent
 imperio, si non Domini mandata parentes
 primi fregissent: quare de iudice iusto
 poenam promeruit talem transgressio talis;
 et, quia promeruit hanc poenam culpa parentum,
- 2150 hinc signum poenae fert porta propaginis in se,
 quae gestatoris libito parere recusans
 praesumit per se modo stare modoque moueri.
 Hinc sua contra se cernentes membra moueri
 erubuere; sed hunc genitalia sola ruborem
- 2155 producunt, quare dicuntur sola pudenda;
 et cognouerunt se nudos, quando pudendis
 uisis offensis oculis traxere ruborem.
 Hinc sibi fecerunt ambo cinctoria renum,
 instar braccarum breuium campestria quaedam,
- 2160 consutis fici foliis, quae forte fuerunt
 37r conceptis apta uotis manibusque propinqua
 (unde Deum quidam ficum uetuisse putarunt);
 carnis praeterea prurigo tegmine tali
 significata fuit, quia pruritus caro sentit,
- 2165 quam fici foliis extractus sucus inungit.
 Cum post descensum redeuntis solis ab arcu
 dimidiante diem Domini gradientis ad auram
 audissent uocem, latebras quaesiuit uterque
 in medio ligni. Non est Deus ipse locutus,
- 2170 immo creaturae subiectae uerba fuerunt;
 terruit aduentus Domini, quos culpa momordit:
 hinc absconderunt se, caeco lumine mentis
 non aduertentes Dominum nil posse latere.

2162 uetuisse *Rl*: metuisse *Rac*

2166 Cum *Rpc*: Dum *Rac* (*rubricator D a se scriptam in C mutauit uel uice uersa*)

2145-49 P. Lomb. II, 24,10-12. 2150-57 P. Com. 22 (PL 198: 1073A).

2158-94 P. Com. 23 (PL 198: 1073B-1D). 2166-73 Gen. 3,8.

- Dixit Adae Dominus 'Ubi es?' Inquisitio talis
 2175 incusantis erat, non ignorantis, ut ipsi,
 quam meruit, culpa fieret manifesta ruina.
 Respondit dicens 'Abscondi me, quia nudus
 extiteram.' Stulta responsio: quomodo nudum
 auctor abhorreret nudi, cui sufficit ad rem
 2180 omnem perfecte complendam sola uoluntas
 et sine liuore dat formas omnibus aptas?
 Cui Deus 'Unde, nisi mandatum fregeris escam
 sumendo uetitam, sensisti te fore nudum?'
 Seruus in uxorem culpam Dominumque retorquens
 2185 respondit 'Mulier, mihi te coniuncta patrono
 iure maritali, pomum dedit, atque comedi':
 poenam, non ueniam, meruit confessio talis
 turgida, non supplex, excusatiua nocentis!
 Tandem sermonem Dominus conuertit ad Euam,
 2190 dicens 'Cur istud fecisti?' Quae rea factum
 37v admisit, culpam tamen obliquauit in anguem,
 dicens 'Decepit me serpens, atque comedi',
 tamquam praeponi maiori digna fauore
 praecepto Domini cuiusquam suasio posset.
 2195 Spiritus exprimitur per Adam corpusque per Euam:
 sic caro spiritui famulatur, ut Eua marito;
 sic opus exercet per carnem spiritus omne,
 sicut Adam genuit ex Eua coniuge prolem;
 a iusto rectoque statu descendit uterque
 2200 per culpam, culpa quoque poenam prendit uterque,
 sicut uterque parens Paradiso pulsus, uterque
 transgressus soluit iustam pro crimine poenam.
 Est serpens Satanas: callens et iniquus uterque.
 Est terrenorum quoque delectatio pomum,
 2205 qua Satan innectit hominem peccaminis hamo,
 ut pomo serpens in culpam traxerat Euam.

2195 Spiritus Gz: Christus *R* (*errore rubricatoris, qui X pinxit, ut X̄pc, non S̄pc efficere-*
tur)

2202 soluit iustam *RI*: solum iustum *Rac*

2174-88 Gen. 3,9-12. 2189-94 Gen. 3,13. 2195-212 Alleg. I, 8 (PL 175:
 639C-D). 2203 Gen. 3,1.

- Ante uirum pomum mulier decepta comedit
decepitque uirum: persuadenti mala culpa
carnalis citius quam spiritualis oboedit;
- 2210 succumbit ratio, si delectatio carnis
non refrenetur, consensus adusque subintret
infligens animae letum lugubre reatus.
Componit folia fici, mendacia quisquis
confingit; foliis fici se contegit, ut se
- 2215 excuset, quiuis uerbis mendacibus utens.
Ambulat (et non stat) in eis Deus, in quibus eius
praecepti minime custodia durat; ad auram
cum sol descendit, quia lux et feruor amoris
illis aufertur, quos culpa contegit umbra.
- 2220 In medio ligni Paradisi se male seruant
38r a facie Domini, quos subtrahit eius amoris
omnibus arbitrii communis praua uoluptas.
Dixit Aadae Dominus 'Ubi es?': ista uocatio nobis
Auctoris nostri pietatem comprobat, ad se
- 2225 non dedignantis peccantem quemque uocare,
ut, cum paeniteat hominem peccasse, resurgat
a lapsu culpaque graui caligine pulsa
ad lucem uitae redeat lucemque salutis.
Quem non ad uitam pietas diuina uocaret,
- 2230 ex quo post tantum peccatum tamque nocium
tam dira dignum protoplastum morte uocauit?
A serpente Deus nihil inquisiuit, eo quod
non serpens, sed eo Satan ignorante, fefellit;
cui coepit primum Dominus maledicere, quamuis
- 2235 in serpente, quia primus deliquit, et ob tres
culpas inflixit recto tres ordine poenas:
Inuidit Satanas homini uirtutibus alto;
hinc dignam meruit pro tali crimine poenam,
ut supra pectus graderetur, reperet aluo.
- 2240 Quod patet in colubro, typice transfertur ad hostem

2222 uoluptas *R* (cf. *Isidorum, l.c.*): uoluntas *Gz*

2240 Quod *Th, Gz*: Quot *R*

2213-31 *Isid. Quaest. in Gen. V, 1-3* (PL 83: 2214-15 *Gen. 3,7.* 2216-21
Gen. 3,8. 2223 *Gen. 3,9.* 2232-52 *Gen. 3,14.* 2232-39 *P. Com 23*
(PL 198: 1073D-74A).

- humani generis: quia regnat pectore mentis
 impetus, hinc proprie mentis signare tumorem
 pectus habet; uenter in corpore mollior extat,
 hinc desiderium carnis designat; et Hostis
 2245 his uitiis ad eos serpit, quos fallere temptat.
 Post, quia mentitus fuerat, punitus in ore
 audiuit 'Terram comedes, dum uixeris'; ipse
 serpens pro uoce suscepit in ore uenenum,
 sed sibi terrenos Satanas incorporat omnes,
 2250 quos eius membra reddit terrena cupido.
 38v Quem quia fraus pascit, uicturus dicitur, usque
 ipsi tollatur fraudandi saeua potestas.
 Post, quia decepit Euam, fraudis Deus ultor
 inter eos inimicitias stabiliuit et omnem
 2255 ipsorum subolem, statuens, ut homo caput hostis
 serpentis tereret, plantisque terentibus ipsum
 serpens insidians infunderet ore uenenum.
 Imas serpenti satis est contingere partes;
 quamuis serpentis totum contingere corpus
 2260 possit homo, terere caput ambit, quod quasi uitae
 sedem seruare colubri prudentia sueuit.
 Inter eos odium constat durare malignum,
 hostis uterque suum prosternere nititur hostem:
 ieiunus necat hic sputo, necat ille ueneno;
 2265 et, quia decepit nudos coluber, fugit omnes
 nudos terriuola, uestitos insilit audax.
 Possunt ad Satanam proprie satis ista referri:
 est hominis Satanas hostis, suggestio praua
 est eius semen, caput eius fraudis origo;
 2270 carnem designat mulier, sed spiritus est uir,
 quem Satanas saepe per carnem fallere temptat;
 hinc inimicitiae factae dicuntur ad ipsam,
 ut caro spiritui signetur causa ruinae;
 semen opus rectum, calcaneus indicat horam
 2275 supremam uitae; Satanae caput atterit Eua,
 quando principium uitatur fraudis iniquae;

2246-47 P. Com. 23 (PL 198: 1074A). 2248-52 Isid. Quaest. in Gen. V, 5-6
 (PL 83: 221A-B). 2253-78 Gen. 3,15. 2253-66 P. Com. 23 (PL 198:
 1074A).

insidiis uictus Satanas nihilominus instat,
ut tandem uincat in uitae fine rebellem.

Posterius Satana, prius est maledicta marito

2280 Eua suo, media delinquens inter utrumque.

39r Eua superbiuit; fuit hinc subiecta marito,
non ex affectu, sicut prius, immo timore
quamque uir inferret uim condicione ferendi.

Fructum gustauit uetitum; quapropter in alui
2285 fructu punita, ne gigneret absque dolore,
legem suscepit, sic dulcem, sicut amaram,
in fructu dulcem, in tormento uentris amaram:
dulce fuit parere, sed amarum ferre dolorem.
Non cessat Dominus misereri, quando flagellat.

2290 Non caret hic typico sensu sacra littera: donec
deponat fastum, donec dediscat amatum
usum peccandi, carnem tolerare necesse est
tristes aerumnas et maestos ferre labores;
sed post, in melius conuerso tristibus usu,

2295 filius affectus uitae nascetur honestae,
spirituique caro parebit, ut Eua marito.

Sicut Adam uetitum praesumpsit sumere fructum,

sic est in fructu punitus, ut absque labore
humano terra fructus non gigneret, immo

2300 spinas, a Domino merito maledicta reatus,
quae fructus ante fecundos sponte ferebat;
sed sudor uultus post panis praestitit esum,
donec edens herbas terrae transiret in ipsam
imperio mortis, factus de puluere puluis.

2305 Praecessit spina peccatum, facta nociua
propter peccatum, suffocans semina terrae;
sic praecesserunt animalia tempore culpam,
soliis culpae merito post facta nociua.

Non aqua, sed terra maledicta fuit, quia tantum

2310 in fructu terrae fuerat transgressio facta;

2297 fructum *R1 s.l.*: pomum *Rac*

2310 transgressio facta *R2 in ras.*: ? *Rac*

2279-96 Gen. 3,16. 2279-89 P. Com. 23 (PL 198: 1074A-B).

2297-321

Gen. 3,17-19. 2297-313 P. Com. 23 (PL 198: 1074B-C).

2305-08 P.

Com. 8 (PL 198: 1063B).

- 39v piscibus hinc Dominus legitur, non carnibus, usus,
praeter paschalis agni carnes, quibus uti
auctorem legis decuit pro robore legis.
Arguitur typice ratio, maledicatur autem
- 2315 terra caro, quam sic ratio non absque labore
castigare potest, ut non oriantur in ipsa
spinae, quae uerbum suffocent, immo bonorum
exsurgant fructus operum, feliciter ipsam
pascentes animam, numquam tamen absque labore,
- 2320 egressa donec anima de carcere carnis
in cinerem redeat cinis, in terram caro terra.
Cum graue iudicium primus pater aure bibisset,
imposuit nomen Euae signanter adaptans
matri uiuentis hominis cuiusque futurae.
- 2325 Quae mortem meruit et mortis gignere fetus,
quamuis in luctu cum prauum uicerit usum
et seruire caro rationi coeperit et sic
affectum rectum conceperit ad bona facta,
mater uiuorum proprie dicitur et Eua.
- 2330 Ut signum ferrent mortalis corporis in se,
pelliceis tunicis protoplastos induit Auctor;
et tres personae dixerunt (uel Pater ipse
ad reliquas dixit personas): 'En uelut unus
ex nobis est factus Adam.' Ironice Deus istis
- 2335 est usus uerbis, quasi diceret 'ut Deus esset,
appetiit, sed iam patet eius cassa uoluntas';
non insultantis sed castigare superbas
curantis Domini mentes haec uerba fuerunt;
uel quasi plangentis uox angelicis fuit ista
- 2340 spiritibus facta, quasi diceret 'esset ut unus
40r ex nobis, si non transgressus iussa fuisset;
est factus dono, non natura, deus'. - 'At nunc,

2320 anima *RI*, *partim in ras.*: p (?) *Rac*

2334 Ironice *Gz*: tropice *R*

2337 insultantis *RI in ras.*: ins...tantis (?) *Rac*

2311 Luc. 24,42. 2316-19 Matth. 13,7-8; 13,22-23; Marc. 4,7-8; 4,18-20; Luc.
8,7-8; 8,14-15. 2322-29 P. Com. 23 (PL 198: 1074D, *ubi refert ad 18, 1071B*); Isid.
Quaest. in Gen. V, 11 (PL 83: 222A-B); Gen. 3,20. 2330-78 P. Com. 24 (PL
198: 1074D-75C). 2330-44 Gen. 3,21-22.

- ne sumat forte lignum uitae comedensque
 uiuat in aeternum, uelut autumat ipse, cauete.’
- 2345 Hinc a laetitia Paradisi pulsus in istam
 tristitiae uallem deuenit, ut arte laboris
 urgeret terram uitae producere fructus.
 Uel ligno uitae uis et natura remansit
 firmandi uitam sua poma frequenter edentis
- 2350 (nec mirum, siquidem reperitur et insula, cuius
 mortis adimplere nullus ualet incola legem,
 donec se faciat efferri, quatenus aeu
 perlongi redimat incommoda munere fati;
 est arbor, cuius folii lanugo comesta
- 2355 tempora continuans comedentis protrahit aeuum);
 uerum, qui meminit semper pietatis in ira,
 quas ex iustitia praesentis tempore uitae
 poenas infligit, magna pietate misertus
 abbreviare Deus curauit, quando remouit
- 2360 a ligno uitae punitos tempore toto
 praesentis uitae, ne manducantibus inde
 in poenis uita nimium duraret, amara
 meta poenarum, non mortis falce, metenda.
 Pulsos a grata Paradisi sede recepit
- 2365 terra Damascena, culturis indiga crebris
 ad producendum fructus; uitaeque peracto
 cursu spelunca duplex suscepit utrumque;
 est et Abel iustus illic a fratre peremptus.
 Eiectis miseris gladius uersatilis atque
- 2370 flammeus et Cherubin disponebantur, ut hortum
 40v seruarent: ignis hominem remoueret ab eius
 ingressu, Satanamque repelleret angelus; aut hoc
 angelus impleuit, quod ibi consisteret ignis
 in specie gladii, uersatilis inde, quod aptus
- 2375 esset utraque sui remouendos parte secare;
 aut ad uersandum seu tollendum fuit aptus:
 Eliae cessit et Enoch subeuntibus hortum;
 sed non extingui potuit sine sanguine Christi.

2367 suscepit utrumque R2 in ras.: ? Rac

2345-68 Gen. 3,23.

2356 Hab. 3,2.

2363 Joh. de Hauv. Arch. V,

293-95.

2368 Gen. 4,8.

2369-85 Gen. 3,24.

- Custodes caelestis habet paradisus eosdem:
 2380 est gladius poena Cherubique scientia plena,
 qua designatur proprie dilectio, qua lex
 impletur; poenas illum tolerare necesse est
 corporis ac animae praesentis tempore uitae,
 ut duplici pariter potiatur oportet amore,
 2385 si quis percipiet aeternae gaudia uitae.
 Naturae talis Paradisi creditur ignis,
 ut non comburat, sed adurat, corpora nulla
 consumat, sed spiritibus durantibus aegre
 inferat ardoris poenas, nullamque requirat
 2390 materiam, quam consumat, durabilis in se.
 Repraesentatur eiectio prima parentum,
 quando peccator expellitur ecclesiaeque
 clauditur ingressus; uelut ignea romphea fertur
 ardens candela; conceditur aspera uestis
 2395 instar pelliceae tunicae; maledictio terrae
 exprimitur, cum non ad mensam, sed super illam
 peccator comedit, et sede grauatus et esu.

2379-85 Isid. Qu aest. in Gen. V, 14 (PL 83: 222C-23A). 2381-82 Rom. 13,10. 2386-90 P. Com. 24 (PL 198: 1075C-D). 2391-97 P. Com. 24 additio 2 (PL 198: 1075D-76A). 2391-94 Apoc. 2,12; cf. Gl. Ord. in locum (PL 114: 715).

LIBER V

- Primi patris erat triplex status. Ubera primus
ac incorrupta naturae dona recepit,
2400 omnis uirtutis expers omnisque reatus.
41r Alter successit uirtutum luce serenus,
donis naturae non corruptis, sed adauctis.
Sic animalis erat homo primo primus ab ortu,
uirtutumque iubar post spiritualis adeptus,
2405 ut prius informis factus fuit angelus et post
accepit claram uirtutum lumine formam.
Formam, qua similis fuit, hinc praecessit imago
informis; quamuis, quod homo sit factus imago
atque Dei similis, uerbis simul exprimat auctor.
2410 Tertius aduenit, taeter caligine culpae
deminuentis Adae bona naturalia, uerum
cunctis gratuitis prorsus spoliantis eundem.
Non quo proficere posset, quo staret, habebat
solis naturae donis homo primus ab ortu,
2415 teste Augustino. Sed semper oportuit, ut uel
temptatum uirtus non consentire uolentem
uel male cedentem sequeretur menda reatus.
Sic temptatus ope diuina semper egeret,
ne caderet, sicut, quamuis in fronte nitescant,

2398 *sch. marg. sin.* De tribus statibus hominis. *sch. marg. dext.* Genesis: factus est homo in animam uiuentem (*Gen.* 2, 7). Glossa: prius animale et post spirituale.
2401 *sch.s.l.* (Alter) Status. 2402 *sch.s.l.* (adauctis) Per gratuita. 2405
sch. Comparatio (uel Quaestio). 2407 *sch.s.l.* (similis) Deo. *sch.* Contra: deus
fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam, sed 'similitudo' nominat gratui-
ta sicut 'imago' naturalia, ergo homo factus est in gratuitis sicut «in» natu-
ralibus, ergo homo fuit in primo status spiritualis sicut animalis. 2408-09
Gen. 1,26-27. 2410 *sch.s.l.* (Tertius) Status. 2413-15 *Aug. Ench.* 105-07 et
De Corr. et Gr. XI, 32 *apud P. Lomb.* II, 24,1,3-4 et II, 29,1,2. 2413 *sch.* Stare
potuit per naturalia, proficere uero non potuit nisi per gratuita. 2416 *sch.s.l.*
(consentire) Culpae. 2417 *sch.s.l.* (cedentem) Culpae. 2419 *sch.*
Similitudo.

- 2420 non possunt oculi quicquam sine luce uidere.
Sicut stant per se nequeuntque resistere puls
infantes, donec crescant in corpore uires,
sic potuit primus homo stare, resistere uero
non potuit per se temptatus, adusque darentur
- 2425 uirtutes animae, quales in corpore uires
sunt, quibus ad culpam uitandam fortior esset.
Hinc Augustinus docuit, quod non homo talis
plasmatus fuerit, quod, si uellet, sine quauis
Plasmatoris ope posset subsistere per se. -
- 2430 Uel, licet hinc culpa, non uirtus inde ueniret,
41v cum graue non esset per sola resistere dona
naturae, nondum corrupta carne reatu.
Hinc nec peccare potuit uenialiter ante,
quam caro mortali culpa uitata fuisset;
- 2435 uel, non temptatus si forte cupisceret escam
a Domino uetitam, uisu pulchram uel odore
suauem cognoscens, nec consentiret, ab esu
se cohibens, fieret uenialis forte reatus
et non mortalis, nec mors sequeretur amara.
- 2440 Cum temptaretur a Daemone Christus, in ipso
esuries causa fuit impulsua merenti;
sed quem pulsare potuit, superare nequiuuit.
Sic ope diuina non indignisse probatur,
donec gratuita uirtutum dona darentur,
- 2445 in quibus auxilium Deus attulit; hinc, licet ex tunc
indigus auxilii fieret, tamen haud minor inde
in donis factus sed erat feliciter auctus.
Sic, uelut ante statum uirtutum, post quoque solis

2445 ex tunc *Rpc*: exitunc *Rac*

2421 *sch.* Alia. 2427 *Cf. ad 2413-15.* *sch.* Potuit stare per naturalia, sed non
subsistere. 2430 *sch.* Alia solutio. *sch.s.l.* (hinc culpa) Si succumberet tempta-
tionis. *sch.s.l.* (ueniret) Si resisteret. 2433 *sch.* (Hinc) Quoniam carne incor-
rupta in ea nulla esset causa peccandi. 2435 *sch.* Ostendit qualiter sine causa
impulsua posset etiam uenialiter peccare. 2440 *Matth.* 4,1-11; *Marc.* 1,13; *Luc.*
4,1-13. *sch.* Ita posset alicui uideri quod Christus non merebatur sine causa im-
pulsatiua. (*Idem scholium iuxta 2441 scriptum erat, sed erasum est.*) 2442 *sch.s.l.* (supera-
re) Temptatio.

- naturae donis potuit uitare reatum,
 2450 quamuis ex donis uirtutum debitor esset,
 quando uirtutes habuit peccata cauendi. -
 Ante potens stare per se post coepit egere
 auxilio Domini seruus: sic tempora pensans
 asseruit uerum pater Augustinus utrimque.
 2455 Aut non ad standum, sed permansura merendum
 gaudia caelorum, diuino semper egebat
 auxilio, uel ei semper fuit utile; quippe,
 stare licet posset, fragilis tamen absque superno
 auxilio facile posset succumbere culpae;
 2460 sic et de facili franguntur uitrea uasa,
 42r et bene seruata perdurant integra semper.
 Arbitrii libertatem patet inde uocari
 auxilium non posse Dei, quo tempore primo
 primus egebat homo, quia libera, cuius ab ortu
 2465 non egiit quandoque, sibi est collata uoluntas.
 Factus ad hoc, ut diligeret, protoplastus ab ortu
 plasma suum Platen dilexit; non sine culpa
 esset, si meritis ingratus amore careret.
 Constat praeterea, quod eum super omnia, sicut
 2470 debuit, initio dilexerit; omnibus his, qui
 dilexere, sine uirtutibus amplius ipse
 naturae donis integris usus amauit:
 de quorum numero multos super omnia constat
 dilexisse Deum, pro cuius amore flagella
 2475 non timuere pati nec poenam mortis acerbae.
 Naturalis erat tamen haec dilectio tanta,
 non uirtus, per eam quia non intendit ad ipsum
 Auctorem rerum supremum tendere finem.
 Non, uelut ante fides informis, quam cito sumit
 2480 formam, fit uirtus, sic fit dilectio uirtus;
 sed noua praestatur prorsus, quae non fuit ante.
 Aeternam uitam non naturalibus, immo

2449 naturae: solis *add.* & *exp.* R1

2458 absque R1 *s.l.*: atque Rac

2454 Cf. *ad* 2413-15.

2460 *sch.* Simile.

2463 *sch.s.l.* (quo) Auxilio dei

scilicet.

2478 *sch.* Id est quia non dilexit ipsum propter ipsum. Communis est

solutio.

2480 *sch.* Comparatio.

- gratuitis donis hominem Deus inde mereri
 instituit, ne se posset conferre perenni
 2485 figmentum figulo, si naturaliter esset
 aeterna dignum uita, ne debita reddi,
 non gratis tribui, censeretur, meritisque,
 non dono, posset ascribi uita perennis.
 Monstrat idem certa ratio: cum tollere dona
 2490 naturae culpa nequeat mortalis et illa
 42v poena Gehennalis acquiratur, liquet illis
 donis non posse conquiri gaudia caeli.
 Non in peccatis aut in uirtutibus Imo
 aut Summo primus seruiuit tempore primo;
 2495 non Deus aut Satanas possedit eum sibi seruum,
 si meritum uel demeritum seruire requirat;
 non uitio malus aut uirtute bonus fuit; insons,
 ad neutrum tendens, medius stetit inter utrumque;
 non fuit indignus uel dignus perpete uita,
 2500 dum dignum uirtus facit indignumque reatus.
 Non definitum reperitur, quid Deus illo
 tempore fecisset animae de carne solutae;
 quare nescitur; uel tunc a corpore solui
 non potuit, cum non aliquem sentire dolorem
 2505 nec ferro nec aqua laedi nec peste nec igne
 ante malum culpae potuisset homo, quia, si non
 peccator fieret homo, non fieret Deus ultor;
 non uindicta Dei posset praecedere culpam.
 Non, uelut emitti semen de corpore posset,
 2510 sic quaeuis alia dissolui portio: corpus

2498 ad neutrum R2 & R1: aduectum (?) Rac

2484-85 Rom. 9,20-21.

2484 sch.s.l. (posset) ? (glossa 3-4 litterarum erasa est)

2489 sch. (certa ratio) Scilicet quod homo non posset mereri uitam aeternam naturali-
 bus bonis, quia probatur quod simul amitteret et acquireret uitam aeternam, quia
 culpa tollit aeternam uitam, sed non tollit bona naturalia. 2493 sch.s.l. (imo)

Diabolo. 2494 sch.s.l. (summo) Id est deo. sch.s.l. (primus) Adam. sch.s.l.
 (tempore primo) Id est tempore innocentiae. 2496 sch. Non meruit, quia non

habuit uirtutes, non demeruit, quia non peccauit. sch.s.l. (seruire) Scilicet hoc
 ipsum 'seruire'. 2498 sch.s.l. (utrumque) bonum et malum. 2499 sch. Nihil

nostrae naturae debitum per culpam tollitur, sed uita aeterna tollitur per culpam, ergo
 uita aeterna non est debita naturae nostrae. 2502 sch.s.l. (tempore) Scilicet

innocentiae.

- emissum semen non laederet, immo iuaret,
 sed partes aliae non possent absque dolore
 solui, praecipue si mors sequeretur amara.
 Nullus pruritus sed delectatio casta
- 2515 surgeret ex coitu; reserari porta pudoris
 clauē sui membri, non ferro posset acuto:
 sic adamanta nequit solum rescindere ferrum,
 quod tamen hircinus sanguis uel menstruus implet.
 Non auferret ei custodia carceris escas;
- 2520 ut Petrus exiuit de clauso carcere liber,
 43r sic nullo posset cohiberi carcere, quando
 escas appeteret, poenae nihilominus experts:
 sic desiderio nullus cruciatus inesset,
 sicut prospicere in Christum desiderat omnis
- 2525 angelus et nullum sentit tamen inde dolorem.
 Ut poenam pareret, non immoderatus edendi
 affectus fieret: quia transgrederetur edendi
 praeceptum, carni si pabula iusta negaret
 et non ante famem concessas sumeret escas;
- 2530 tormentumque famis inferret praeuia culpa.
 Qui semel obtinuit uirtutes, semper ad illas
 ipsis naturae donis artatur habendas;
 nulla tamen primum poterant artare parentem,
 quando uirtutum nondum persensit odorem,
- 2535 quando non fuerat uirtutum melle refectus,
 non confortatus gustu, non tractus amore;
 si prius in culpam cecidisset, quam iubar esset
 uirtutum nactus, fieret uirtutis habendae
 debitor ob casum, sine qua non surgere posset.
- 2540 Numquid habens hodie uirtutes fortior extet,
 quam fuerit primus pater illo tempore, uitans,
 quando temptatur, peccatum quodlibet ipse
 gratuitis melius, quam naturalibus ille?
 Plus infinito cum committat Deus isti
- 2545 gratuitis donis quam naturalibus illi,

2512 possent *RI*: possunt *Rac*

2528 praeceptum: si (?) *add. Rac*

2520 Act. 12,3-10.

si par deiceret ambos temptatio, numquid
 hic infinito delinqueret amplius illo?
 Cui plus committit, ab eo plus exegit; hinc plus
 accipiens culpas plus euitare tenetur.

- 2550 Gauderent homines communibus omnibus omnes,
 43v si non corrupti peccati labe fuissent,
 nec rem quamcumque quisquam posset sine culpa
 appropriare sibi. Si quis de iure negaret
 iuste poscenti rerum quarumlibet usum,
 2555 cum Deus et serui nollent contraria, cui res
 uellet concedi, uellet Deus ipse negari,
 et discordaret a se diuina uoluntas.
 Si quis praeterea licite transire per agrum
 posset, sentiret uetitus poenam sine culpa,
 2560 et sic diuina praecederet ultio culpam.
 Unus ad haec agrum sic appropriaret ut alter:
 cum neuter potius reliquo nec posset uterque,
 constat, quod neuter proprium conquireret agrum.
 Ponatur, quod homo primo peccauerit agrum
 2565 appropriando sibi communem: non Deus auctor
 permisisset agri, communibus usibus ante
 concessum fieri proprium ratione carenti
 conatu serui, tormenta merentis ob ausum
 non tolerandum sed reprimendum pondere poenae,
 2570 quamuis effectus expertem et prorsus inanem.
 - Sed, cum nil poena dignus profecerit ausus,
 cum tanto maius, quanto diuturnius, omne
 peccatum fiat, grauiorque tenacior ausus,
 qualiter iniusta primum possessio mendam
 2575 culpae deposuit, effecta retentio iusta?
 Non minuunt culpam, sed adaugent, tempora longa;
 temporis extractu crescit putredo reatus. -
 Coepit agrum forte proprium possessor habere,
 quando paenituit ipsum incurrisse reatum,

2557 discordaret *RI*: discodaret *Rac*

2566 agri *RI*: agrum (?) *Rac*

- 2580 permittente Deo retineri propria, per quae
 44r infirmæ fieret post sustentatio carnis.
 Sanis plerumque tractantur mitius aegri:
 illicitum sanis licitum morbus facit aegris;
 lex, quæ constringit sanos, non imperat aegris.
- 2585 Sic homini propria ratio dictauit habenda,
 ut sustentetur rebus, quibus indiget aeger.
 A simili ducas uxorem, quam prius a te
 non cognoscendam iurasti: non sine culpa
 cum nupta ritus maris exercebis, adusque
- 2590 te iuramentum doleas soluisse maritum,
 et sic, indulta uenia, ualeas sine culpa
 reddere, quod debes, praesertim si petat uxor.
 Lex naturalis in cordis codice scripta
 est a principio, quia naturalis ab ortu
- 2595 hanc hominem ratio docuit statuitque tenendam;
 non, quod res propria uel res aliena fuisset
 ante statum culpæ communis quaelibet, immo
 dictauit ratio, si quando propria cuiquam
 res quæuis fieret, ut nemo cupisceret illam.
- 2600 Inscriptam solis humanis cordibus ante
 inde Deus coepit tabulis inscribere legem
 in praecepta decem distinctam, quatenus intus
 ac extra scripta tanto sciretur honore
 maiori digna, tanto uigilantius omni
- 2605 tempore seruanda, quo tradita saepius esset;
 saepius apparens oculis carnalibus extra
 saepius ad mentem scriptam perduceret intus.
 Primo mandato reseratur, quod Deus unus
 extet, adorandus solus solusque colendus,
- 2610 non, quæ finguntur et non sunt, idola, nec quæ
 44v praetendunt facta rerum quarumque figuram.
 Latria Factori soli debetur, ut ipsi
 sacrificetur, et ut ipse excellenter ametur;
 iste Deo soli debetur cultus, et inde,

2613 ipse R, sed haec uox paene deleta (erasa. ?) est

2593 Rom. 2,15. 2600-3169 Exod. 20. 2608 sch. Prima chorda. 2610
 I Cor. 8,4. 2613 sch. Latria est cultus dei qui completur sacrificio et caritate.

2615 si quis facturae cuius impenderit ipsum,
 induet idolatram, nimis infeliciter errans.
 Soli debetur Domino celebratio missae,
 existens latria; quare sic latria quaedam
 mortalis culpae est, sicut celebratio missae.

2620 Quamuis idolatra non sit Iudaeus Apella,
 non tamen ipsius nunc sacrificatio foeda
 debetur Domino; uerum, quia tempore legis
 debebatur ei, censi latria debet.

Non Domino dulia est sed sancto debita seruo:

2625 hac immortalem factum mortalis adorat;
 hac, sicut sanctus attendens uota precantum,
 sic et adoratur sensus cuiuslibet expers
 intuitu sancti uenerabilis eius imago.
 Hac et adoratur sanctissima crux ad honorem

2630 saeuam perpassi pro nobis in cruce mortem;
 sic in eo quod homo est Christus, non quo Deus auctor,
 debetur dulia digne dignissima Christo;
 aut deitas hominis naturam reddere dignam
 dignatur latria, quam dignabatur in unam

2635 associare sibi personam perpete nexu:
 saepe quis intuitu socii sortitur honorem,
 quem per se nulla posset ratione mereri.
 Non usum latria non arguit inde Iohannem
 cuius adoratus caelestis, sed quia maior

2640 impensa est dulia, quam deberetur, honorem
 45r angelus edocuit non deberi sibi tantum,
 cum super angelicam naturam carnea Christi
 altera natura iam sublimata fuisset.

Est etiam dulia quaeuis oblatio, quae fit

2645 Reginae caeli, quae uirgo permanet, etsi
 Regis caelorum fuerit castissima mater;
 cuius adaequari meritis retributio nulla
 sufficit obsequii, sed eis minus omne sciatur
 et nimis exile timeatur; et eius honori

2650 quilibet inuigilet, cui quicquid fiet honoris,
 censebit Deus exhibitum sibi filius eius.

Si commendare conarer uirginis huius
 et matris merita clarissima, maior eorum
 gloria sic laudem semper transcenderet omnem,
 2655 ut Phoebus faculam, mare guttam, linea punctum,
 caelum tellurem, tellus excedit harenam.

Patre minor non est credendus Filius, etsi
 praetulerit Patrem sibi; uerax ipse magister
 noster, non tantum uerbo sed quolibet actu
 2660 nos facienda docens et per uestigia monstrans
 factorum, per quae comitemur facta magistrum,
 nos humiles nostris effectos cordibus isto
 exemplo paribus deferre docebat honorem:

exemplum uitae producens gaudia caeli
 2665 non peruertatur, ne luctum gignat Auerni.
 Uel, licet aequalis Patri in deitate maneret,
 in serui forma docuit se Patre minorem.

Cum naturarum persona sit una duarum
 Christus, et aequales personae sint Deus unus,
 2670 pro libito quisque, qui recte credit, honoret
 45v unam secure personam, cum tribus unus
 impendatur honor personis, ut tribus una
 est usia, tribus deitas aequalibus una;
 quare nemo potest personae unius habere
 2675 tantum notitiam, sed oportet quemque uel omnis
 notitiam personae uel nullius habere.

Hoc aes esse Deum contestans nonne fideli
 contradicit, idem manifesta uoce neganti?
 in uerbis numquid est aequiuocatio, quando
 2680 esse Deum Dagon negat unus et asserit alter?
 Si contradicant sibi, credit, quod putre lignum
 conspicit, esse Deum rerum quarumlibet orbis
 totius auctorem paganus luminis experts.
 Quod fidei possit absentia gignere tantas
 2685 erroris tenebras, ut non deprendere possit

2678 contradicit R2: dicit Rac

2654-56 Joh. de Hauv. Arch. I, 142-43. 2655 sch. Comparatio. 2657-
 58 Ioh. 14,28. 2658 sch. Nota contra: aequalium secundum quod aequalium
 non est superpositio uel suppositio. 2662 sch. Solutio. 2667 sch. Alio modo
 solutio. 2677 sch. Aliquis. 2680 Iud. 16,23; I Reg. 5,2-7; I Par.
 10,10.

- hoc impossibile caecus rationis ocellus,
 uix est credibile, fidei cui gratia lucet;
 quod tamen in tantum paganus caecus oberret,
 affirmat penitus erroris apostolus exsors.
- 2690 Sed quamuis quosdam tam detestabilis error
 excaecare queat, rationis luce quibusdam
 plus illustratis licet haec categorica uera
 'ista creatura deus est' uideatur, ut ipsa
 numinis obtentu possit praestare iuuamen,
- 2695 non ipsam credunt tamen esse Deum, quia rerum
 non ipsam credunt auctorem, quem 'Deus' ista
 dictio significans cordi transmittit ab aure,
 ut memores eius audito nomine simus.
- Est etiam celebris haec significatio uocis
 2700 idolatris, quibus est discretio maior, ut unum
 46r esse Deum credant auctorem totius orbis,
 quamuis sculptilibus credentes numen inesse
 inclinent capita, tamquam conferre cupitum
 possint subsidium, quae cursus temporis ad non
- 2705 esse rotat, de materia fabricata caduca,
 more caducorum celeri tendentia cursu
 ad finem, nullum uitae spiramen adepta,
 officio uocis omnique carentia sensu.
- Istis idolatris haec concedenda uidetur:
- 2710 'tam Dagon deus est, quam Conditor orbis'; utrumque
 pergrandem credunt, utrumque iuuare ualentem;
 idem concedunt etiam, quod Dagon eorum
 cunctarum rerum non sit Deus unicus auctor.
- Non est sensibilis sentire potens petra, uerum
- 2715 sic est sensibilis, ut sentiri petra possit,
 indignus licet exemplo sit pessimus error.
 Denas psalterii decachordi tangito chordas

2696 non *R(2)* in *ras.*: ? *Rac*

2702 sculptilibus *R1*: scultilibus *Rac*

2704 temporis *R2*: t̄p̄is *Rac* (i.e. lineam horizontalem per hastam litterae p ducere scriba obli-
 tus erat, addidit *R2*)

2688-89 Act. 17,29; Rom. 1,25. 2702 *sch.* Id est posse ferre iuuamen. 2710
sch. Dagon est deus, conditor 'orbis' est deus; hanc negant: 'Dagon et conditor orbis
 est deus'.

- et uenare feras totidem, citharista simulque
 uenator prius effectus, quicumque futurus
 2720 es ciuis caeli, regis conuiua supremi!
 Mandati primi chorda resonante necatur
 uana superstitio, fera mortis plena ueneno.
 Mandato Domini prohibetur quisque secundo,
 ne Domini nomen in uanum sumat, honore
 2725 dignum, terribile, sanctum per saecula nomen,
 in uanum semper assumptum, quando per ipsum
 in non concessis iuratur casibus. Etsi
 iuramentum omne uetitum uideatur, oportet,
 ut generi species praeiudicet, in quibus urgens
 2730 causa fidem fieri per iuramenta requirit:
 46v ut mala suspicio tollatur, scandala cedant,
 firmentur pacta, credatur testibus, et ne
 iurgia perdurent, lites sine fine trahantur,
 pax proscribatur, semper discordia regnet.
 2735 Omnino est uetita mendax iuratio, per quam
 sumitur in uanum Domini uenerabile nomen;
 praeceps, ut Dauid iurantis de nece Nabal;
 inconsulta, uelut Iosuae de foedere pacis;
 crebra nimis: quippe Salomon iurare frequenter
 2740 nos uetat et iuramentis assuescere linguam;
 affectata nimis, quasi quiddam suaue sit ori:
 hinc prohibet Iacobus, ut non ante omnia iures;
 callida, plena dolis et deceptoria fratris,
 quando iuratur, ut proximus illaqueetur;
 2745 erroris plena, quando per plasmata iurans
 credit eis corde tenebroso numen inesse.
 Isti mandato fauet allegoria secundo:
 est nomen Domini Uerbum Patris, unicus eius
 Filius, assumptus in uanum, quando putatur

2738 *inconsulta* K: *ncōsulta* R2: *Icōsulta* (?) *Rac* (i.e. *corrector* I *atramento scriptum erasit et n scripsit, ut I initialis minio appingeretur, quod factum non est*)

2724 *sch.* Secunda chorda. 2728 *Math.* 5,34; *Iac.* 5,12. 2734 *sch.* Sic sunt octo casus in quibus licet fieri iuramentum. 2737 *I Reg.* 25,22. *sch.* Iuratio uetita septem habet differentias, quas enumerat, scilicet mendax, praeceps etc.
 2738 *Ios.* 9,15-20. 2739-40 *Sirach* 23,9. 2742-43 *Iac.* 5,12.

- 2750 purus homo uanis subiectus, non Deus auctor;
sed non accipitur in uanum, quando creator
creditur aeternus et homo de uirgine natus;
et sic mandati chorda resonante secundi
corrui erroris crudelis bestia uani.
- 2755 Ad conseruandum nos iussio tertia cogit
sabbata, non, sicut Iudaeos, temporis, immo
pectoris et pacis aeternae, quatenus almi
Pneumatis ex dono sic sanctificare uelimus,
sic celebrem facere requiem studeamus utramque,
- 2760 culparum strepitum, mundi pulsantem amorem
47r peruigili studio uitantes, ut sine fine
post istam uitam caelesti pace fruamur.
Prosternetur amor mundi, fera tertia cunctis
asuperior, si sic tangatur tertia chorda.
- 2765 Haec uni tabulae tria commendata referri
ad tres personas debent: ad Patris amorem
primum mandatum, cum sit reliquis Pater auctor,
principium generans Gnarum spiransque Benignum;
ad reliquas reliqua monstrant referenda priora.
- 2770 Primo mandata duo proxima qualiter aptes
personis reliquis, tibi praecedentia monstrant.
Post alii tabulae commissa sequentia septem
inuitant homines ad amandum foedus amoris,
et ne quis faciat alii, quod suscitet iram,
- 2775 bilem succendat, odium producat amarum,
pacem rescindat et amicum mutet in hostem.
Patri carnali matrique requirit honorem
de septem primum, sed honor non sufficit omnis:
uerborum foliis et gestus supplicis umbra
- 2780 exhibitus prolem non excusat, nisi fructum
afferat auxilii, si proles ferre iuuamen
possit et oppressi pondus releuare parentis.

2777 carnali Gz: carnalem R

2750 Rom. 8,20. 2756 sch. Tertia chorda. 2769 sch. mg. sin. Personas
(ad reliquas referendum). sch. mg. dext. Iam dicta (ad priora referendum). 2773 sch.
Septem mandata reliqua sunt de dilectione proximi. 2778 sch. Quarta
chorda. 2779 sch. Probat.

- Crudelis quippe et fidei sceleratior omni
 hoste est, qui curam postponit habere suorum;
 2785 paganum culpa superat, quicumque parenti
 impius auxilium iustum praestare recusat:
 unde Ioseph curam curauit habere parentum,
 et curam matris habuit Iesus in cruce pendens,
 ipsam commendans inter tormenta Iohanni.
- 2790 Sicut carnalis, sic spiritualis honore
 47v hoc pater est dignus: animorum copula nexu
 sanctor est carnis, accommodiorque saluti
 spiritualis amor carnali praestat amori.
 Iure tamen patrem carnalem praefero uitae
 2795 subsidium dando uitamque optando perennem,
 quamuis peruersus carnalis, sanctor autem
 spiritualis sit pater, et minitetur utrique
 mortem dura fames, et carnalis mala nulli,
 alterius uero patris mors sit mala multis.
- 2800 Et, licet a Domino plus spiritualis ametur,
 me praeferre tamen carnalem complacet ipsi,
 ut Deus et me uult de morte dolere parentis
 et uult imperio mortis parere parentem;
 unde uoluntati diuinae consono, cum me,
 2805 uolo, uelle Deus uelit, etsi, quod uolo, nolit.
 Si iustum quemuis in amoris munere patri
 iniusto licite praeferrem, iure dolerem
 amplius ob casum iusti in peccata ruentis,
 quam de profectu gauderem patris ad arcem
 2810 uirtutum spreta uitiorum labe uolantis;
 quod tamen haud ordo tolerare uidetur amoris.
 Praeterea, quamuis carnalem excellat amorem
 spiritualis amor, cum spiritualiter ipse
 prauus ametur ad hoc, ut iustus fiat, iniquo
 2815 patri non ideo cogor praeponere iustum.
 Quarti mandati chorda resonante necatur

2789 inter *R2*: intra *Rac*

2801 complacet *R2*: complacat *Rac*

2804 diuinae *Th, Gz*: diuino *R*

2787 Gen. 45-50.

2788 Ioh. 19,25-27.

2808 *sch.* Arguitur.

- impietatis atrox fera, despectiua parentum.
 Quinto mandato, ne sis homicida, cauetur;
 sed ueteri lege tantum manus, at manus et mens
 2820 absque manu socia cohibentur lege uetustae
 48r accedente noua superadditione nouorum.
 Ex odio censet homicidam lex noua solo,
 sicut et Ambrosii sententia uera fatetur:
 'est homicida, fame morienti qui negat escam'.
 2825 Sed fit tripliciter homicida quis absque reatu:
 quando reum iudex, hostem discrimine belli
 miles, et errante nolens interficit ictu
 insontem quemquam, quem nec contingere uellet;
 nullum quippe malum, nullum damnabile, nullum est
 2830 mortis opus, si non fuerit peruersa uoluntas.
 Si caueas nocuum uitata caede reatum,
 quinti mandati resonabit chorda, simulque
 noxia succumbet feritatis bestia quinta.
 Sordida mandato sexto moechia uetatur;
 2835 sed, quamuis species moechia sit et genus eius
 illicitus coitus, tamen illic nomine partis
 accipitur totum: 'moechiae' nomine partis
 non solius adulterii turpissima labes,
 sed genus, illicitus coitus generaliter omnis
 2840 membrique illiciti nimium culpabilis usus,
 sicut adulterium, sicut moechia uetatur.
 Si recte sexta tangatur chorda, libido
 bestia succumbet, animam cum corpore foedans.
 Edocet illicitum praeceptio septima furtum,
 2845 totum complectens in partis nomine 'furti':

2838 adulterii *A¹*, *Gz*: adulteri *R*

2839 genus illicitus *Rpc*: genus.illicitus *Rac*

- 2818 *sch.* Quinta chorda. 2820-22 Matth. 5,21-36. 2820 *sch.* Quasi di-
 cens: in noua lege etiam uoluntas sine facto prohibetur. 2821 *sch.s.l.* (additio-
 ne) Noua dica dicta. (*Uocabulum dica ex δίκη graeco.*) 2822 I Ioh. 3,15.
sch.s.l. (lex noua) Apud deum scilicet. 2823-24 *Locus non inventus; cf. comm.*
Gertzii. 2824 *sch.s.l.* (negat escam) Sciens ipsum moriturum fame. 2826
sch. (discrimine) Nota: ex parte iusta. 2835 *sch.* Sexta chorda. 2837 *sch.s.l.*
 (nomine) Scilicet. 2839 *sch.s.l.* (illicitus) Scilicet. 2840 *sch.* Sicut Sodomi-
 tarum et similium. 2844 *sch.* Septima chorda.

- est species furtum, genus usurpatio rerum
 quaelibet illicita, cuius non unica tantum
 sed species omnis prohibetur nomine 'furti'.
 Hinc omnis raptor ac omnis Simonis heres,
 2850 omnis sacrilegus ac usurarius audet
 48v non committendi mandatum soluere furti,
 quamuis delinquat nec proprietarius eius
 fiat, quod temere non usurpare ueretur.
 Auctoris rerum cunctarum iussus herilis
 2855 Aegyptum depraedatos excusat Hebraeos,
 quos non aeris amor, non ardor traxit habendi,
 ut res deferrent alienis usibus ante
 concessas, sed res omnes pro uelle regentis
 imperio Domini parendi sola uoluntas.
 2860 Simonis inducit immensum crimen emendi
 seu Giezi crimen uendendi spirituale
 (uel, quod ei nexum scitur,) studiosa uoluntas,
 quamuis non ad opus sit processura nefandum.
 Cum non possit emi de facto gratia sancti
 2865 Pneumatis, est crimen etiam conatus emendi.
 Quaedam de iure nec emi possunt neque uendi,
 ut quorum nulla est taxatio iusta ualoris;
 ex hominum tamen arbitrio distractio pendens
 saepe fit ex facto, quamuis contraria iuri.
 2870 Sic sanctae ecclesiae, sic ecclesiastica sancta
 quaelibet officia, sic sanctus quilibet ordo,
 sic sacramenta generaliter omnia praeter
 coniugium, sic ecclesiae praelatio, sic ius
 praebendae, sic ius decimae nec emi neque uendi
 2875 possunt de iure, quamuis aduersa saluti
 de facto saepe ipsorum distractio fiat.
 Non ius praebendae sine connexo sibi sacro
 uenditur officio, sed in uno uenit utrumque,
 ut neutrum uendat, quisquis non uendit utrumque;
 2880 res tamen et fructus praebendae uendere fas est,

2858 regentis *R(2)*: rogantis *Rac*

2849 *sch.* Ideo. (*Ad hinc referendum.*)

2852 *sch.* Quasi dicens: non faciat pro-

prium de sic acquisitis.

2855 Exod. 11,2-3; 12,35-36.

2860 Act. 8,18-24.

2861 IV Reg. 5,20-27.

sch. In his est uoluntas pro facto.

49r si modo non sit, qui fit praebendarius, emptor,
quando ius uendi iuris praesumptio censet.

Quaedam taxantur, quare uenduntur emuntur
inter personas, quae contrectare licenter

2885 uasa sacrata Deo possunt uestesque sacratas,
a laicis numquam, si non conflentur, emenda.

Illicitum pretium prohibetur quodlibet et non
spirituale, bonae uitae meritum, sed adesse
semper praecipitur, ut spiritualia dentur:

2890 sic est illicita quaeuis usura realis,

2887 Illicitum *K, Gz*: illicitum *R* (*rubricator suo munere functus non est*)

2881 *sch. R2* (emptor) Emtor fructuum praebendae, qui fit praebendarius, praesumitur emere ipsam praebendam, cum fructus habiturus sit, et si numquam emat eos.

2883 *sch. R2* Utensilia ecclesiarum sacrata, siue sint uasa siue pallia siue alia ornamenta, dicuntur spiritualia, non enim nisi a spiritualibus, id est ecclesiasticis et sacratis hominibus debent contingi vel tractari, ut de consecratione di. I (c. 41): "In sancta" (*Corp. iur. canon. ed. Friedberg, vol. I, col. 1304-05*), (c. 42) "Vestimenta" (*ibid. col. 1305*). Et haec quia aestimationem recipiunt, uenduntur inter ecclesiasticas personas, non autem laicis, nisi prius fuerint conflata, ut uasa sacrata quae conflata licite uenduntur laicis, ut c. XII^a, qu. II (c. 70) "Aurum" (*ibid. col. 710*). Si autem non conflata uendantur laicis, committitur simonia, ut c. I, qu. III (c. 7) "Si quis obiecerit" (*ibid. col. 413*), (c. 8) "Saluator" (*ibid. col. 413-15*).

2884 (*ad v. 2894 referendum*) *sch. R2* C. I, q. I (c. 113) Ordinationes quae interueniente pretio uel precibus uel obsequio alicui personae ea intentione impenso <fiunt>, falsas esse diiudicamus (*ibid. col. 402*). Item eadem q. (c. 116) "De ordinationibus" (*ibid. col. 403*). **2888** *sch. R2* In euangelio: quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego ueniens cum usuris exegissem illam? (*Luc. 19,23*).

2890 *sch. R2* Cum aliquis ordinatur precibus a se porrectis simoniam committit, ut c. I, q. I (c. 113) "Ordinationes" etc. (*Corp. iur. canon. ed. Friedberg, vol. I, col. 402*), (c. 115) "Si quis neque" (*ibid. col. 403*). In quo capitulo et tales preces sordidae dicuntur. Si fiat ordinatio precibus ordinando porrectis, sancta et canonica est, ut c. I, q. VI (c. 3) "Sicut is" (*ibid. col. 425*). Cum uero ordinatur quis precibus ab aliis pro se porrectis, si preces spirituales sunt pro digno et bene merito factae, nullam simoniam pariunt, dum modo ipse ordinator non fundet (*cor. e fundat*) intentionem suam in precibus, sed potius in uitae meritis, ut c. I, q. I (c. 121) "Latorem" (*ibid. col. 405*), (c. 122) "Filium" (*ibid. col. 405*). Si uero preces carnales fuerint, puta intuitu cognationis, affinitatis uel amicitiae factae, si fiant pro indigno alias non ordinando, simoniam pariunt, ut c. I, q. I (c. 116) "De ordinationibus" (*ibid. col. 403*). Si uero fiant pro digno alias ordinando, et ordinator non habeat respectum ad solas preces, sed potius 'et' principaliter ad uitae meritum, non pariunt simoniam, ut c. I, q. I (c. 121) "Latorem" (*ibid. col. 405*), (c. 122) "Filium" (*ibid. col. 405*). Sed si tantum habeatur

spiritualis habens meritum exercenda iubetur.
 Ad uitae meritum respectum debet habere
 semper praecipuum, qui spiritualia confert.
 Possunt obsequia prodesse precesque ualere
 2895 porrectae, nisi sufficiant, nisi sola perorent,
 si propter uitae meritum donatio fiat;
 sed uice funguntur pretii pariuntque reatum
 Simonis iniustae quaecumque preces, quibus heres
 Simonis iniusto studet implorare scienter,
 2900 quod gratis debet conferri non nisi iusto.
 Et quamuis quandoque preces uideantur in ore
 alterius mundaе, sordescunt semper in ore
 suspectae proprio, quia spiritualibus inde
 se magis indignum quis reddit, quo magis ambit:
 2905 sicut, qui refugit, ad sacrum altare trahendus,
 sic est arcendus, qui postulat, appetit, ambit.
 Obsequium pretium censetur, quando per ipsum
 ut conquiratur quid spirituale studetur;
 sed si praecipua, si summa intentio recta
 2910 sit propter Dominum liciteque uolentis habere,
 49v non pariet culpam fortassis causa secunda.
 Causa Deus, propter quam spirituale fit, esse
 debet, non aliud quicquam, sed causa secunda

2904 quo R2: quod Rac

respectus ad preces, non ad uitae meritum, siue sint carnales preces siue spiri-
 tuales etiam pro digno porrectae, simonia committitur. Possunt ergo licite co-
 operari preces, sed non principaliter operari, non per se sufficere sine simonia.
 2907 sch. R2 Item clericus seruiens alicui episcopo si principaliter habeat inten-
 tionem ad deum, secundariam autem ad beneficium obtinendum, non committit
 simoniam, ar. d. LXI (c. 7) "Quid proderit" (*ibid. col. 229-30*), et LXXIII^a (c. 9)
 "Consuluit" (*ibid. col. 264-65*). Uerba: ut hac saltem ratione constricti et honorem,
 quem refugerant, appetere 'nitantur' et quaestum. Item praelatus clericis bene
 meritis intuitu obsequiorum sine simonia ecclesiasticum potest conferre benefi-
 cium, ut c. XII, q. II (c. 66) "Quicumque" (*ibid. col. 708*), (c. 67) "Ecclesiasticis"
 (*ibid. col. 708-09*), et XVI, q. VI (c. 7) "Illud" (*ibid. col. 799-800*), dum modo prae-
 latus respectum magis habeat ad uitae meritum quam ad obsequium, sic enim con-
 ferens a uero non deuiat, quod cauendum est, ut d. XXIII (c. 5) "Quando" (*ibid.*
col. 88-89). Ad ultimum, si ea obsequia pa[s]ciscantur quae adiuncta sunt ordini
 vel dignitati quae praestatur, dum modo pactio a superiori exigatur et ei fiat, non
 est simonia, ut d. XXIII (c. 6) "Quamquam" (*ibid. col. 81*), et di. C [I] (c. 5) "In ea
 synodo" (*ibid. col. 353*). 2911 sch. Sicut preces vel obsequium.

- adueniens, sine qua fieri non posset, inulta
 2915 est, homini permissa infirmum corpus habenti;
 uerum si causa quaeuis terrena uoluntas
 sit, sine qua minime fieret, cum posset, apertum
 continet, in causam propter quam uersa, reatum.
 Quamuis non fuerit promotus criminis huius
 2920 pollutus labe, propter labem tamen eius,
 qui promouit eum, deponi debet uterque;
 immo, licet neuter peccarit, si per amicos
 sit procurata tali promotio labe,
 ob tanti sceleris odium nihilominus expers
 2925 commissi sceleris priuari munere sumpto
 debet promotus, nisi dispensatio fiat.
 Simonis exemplo scelus hoc intentio sola
 parturit; exemplo Giezi producitur; etsi
 collatum munus intentio praua sequatur,
 2930 hinc retro trahitur transactumque inficit actum.
 Fit per sacrilegi culpam uiolatio sacri,
 quando subtrahitur reuerentia debita sacro.
 Crimen sacrilegi parit usurpatio quamuis
 non sacri, si de sacro subtractio fiat;
 2935 sic, cuicumque loco fiat subtractio, sacro,
 non sacro, semper parit usurpatio sacri.
 Non consecrata tantum, sed propria quaeque
 consecratorum, funguntur iure sacrorum:
 qui res quascumque manifeste siue latenter
 2940 diripit ecclesiae, reus huius criminis extat,
 50r de quocumque loco rerum sublatio fiat.
 Perpetrat usurae crimen, qui mutuatur, ut plus
 accipiat; parit hunc intentio sola reatum,
 quamuis effectu fraudetur praua uoluntas
 2945 soliusque Dei metuat secreta flagellum.
 Tantum, quae numero mensura pondere constant,
 mutuo res dantur, nec easdem debitor, immo
 tantas eiusdem speciei reddere debet:
 quae 'sors' dicuntur; propter quam nil sine labe

2929 munus *RI*: minus *Rac*

2942 *sch.* De usura.

- 2950 creditor usurae capit aut petit aut cupit ultra.
 Illicitam, quicquid sorti superadditur, esse
 usuram constat seu detestabile faenus.
 Non tamen est uetitum, quare nec culpa, locare
 pro placito pretio rerum quarumlibet usum.
- 2955 Non domino seruit seruata pecunia, sicut
 esse retenta solet frugi res apta locari;
 utilitas usus, si res teneatur herilis,
 eius mercede pensatur, quando locatur.
 Creditor illorum dominus, quae mutuatur, esse
- 2960 desinit, et, sicut in eis incurrere damna
 non formidat, ita nec iuste commoda sperat;
 econtra dominus non desinit esse locator,
 et licite recipit de rebus lucra locatis,
 ad quem respiciunt et contingentia damna:
- 2965 iuste lucra sequi debent, quem damna sequuntur.
 Nec faenus licite Iudaeus cepit ab hoste,
 sumere permissus sine poena, non sine culpa,
 sicut discidii culpam non abstulit, immo
 poenam, porrectus antiqua lege libellus.
- 2970 Quamuis de iure per furtum siue rapinam
 50v auferri possint res iussu principis hosti,
 quamuis edicto perimendum principis armis,
 nemo tamen licite per faenus conterit hostem,
 cum nullus princeps iubeat quid tale, nec esset
- 2975 obseruanda Deo contraria iussio talis;
 legem, quae faenus permittit ab hoste requiri,
 exposuit pater Ambrosius, nusquam tamen absque
 culpa torqueri per faenus censuit hostem.
 Quamuis adueniat pactum, stipulatio fiat

2963 recipit *R1*: recepit *Rac*

2965 quem *R2*: que *Rac*

2953 *sch.* Quaestio: quare licet locare domum uel equum uel uestem pro pretio
 et non monetam neque metalla neque granum et consimilia? 2955 *sch.*

Solutio. 2959 *sch.* Si aliquis mutuatur monetam desinit esse dominus eius; ita
 non est de equo uel de domo, si locat pro mercede. 2965 *sch.* Nota:

lex. 2966-67 Deut. 23,19-20. 2968-69 Deut. 24,1; Matth. 5,31-32; 19,3-8;
 Marc. 10,2-9. 2976-78 Ambr. De Tobia XV, 51 (PL 14: 817) *apud* Corp. iur. ca-
 non. C. XIV, qu. IV, c. 11 (*ed. Friedberg, vol. I, col. 738*).

- 2980 de persoluendis usuris, faenore dando,
 canonico iure repetuntur praestita, quamuis
 non soleant repeti ciuili iure; sed aequum est
 maiori dominae famulam parere minorem,
 canonicae legi ciuilem cedere legem:
- 2985 inde sequi tamquam dominae uestigia sacrae
 legis canonicae non dedignatur honorans
 lex humana, minor ancilla, pedissequa supplex.
 Uerum possessor effectus faenore non est
 effectus dominus; quare non ante reatus
- 2990 pondus deponet, quam diro faenore rapta
 reddat uel saltem uelit omnia reddere raptor;
 unde nec oblata nec pauperibus data prosunt:
 in tales usus expendi propria debent.
 Nec tamen ex hominis propriis oblatio rebus
- 2995 est semper licita, quia non oblatio scorti
 de mercede sua, uiuentis turpiter et, cum
 sit meretrix foeda, non turpiter accipientis;
 cuius respuitur oblatio, ne nimis ausum
 roboret admissa, sed cogat pulsa pudore
- 3000 confusam corde contrito pellere crimen.
 51r Sed non pauperibus scortum conferre uetatur
 obscenum pretium uenali corpore partum.
 Aut offerre licet meretrici, sumere munus
 presbytero licet oblatum, sed non licet, immo
- 3005 est uetitum, sic accipere, ut scelus approbet eius,
 ut non impugnet in aperto crimen apertum,
 ut non affirmet oblato munere scortum
 non placare Deum, si non a crimine cesset,
 si non euitet foedum lupa foeda lupanar.
- 3010 Sic admittenda est, licet imperfecta, tacentis
 quaedam peccata confessio, poenaeque solis
 iniungi debet reseratis debita culpis;
 sed sua confessum peccata docere tenetur
 confessor, quod non prosit confessio talis,
- 3015 ut conquirantur aeternae gaudia uitae,

3001 uetatur R2: ueccatur (?) Rac

2995-96 Deut. 23.17-18.

quod Deus aut nullam uel culpam diluat omnem,
quod non appositum possit prodesse malagma,
cum ferrum remanens in uulnere constet obesse.

Septima succumbet feralis bestia praedam
3020 exercens, bene si tangatur septima chorda.

Octauum cohibet testes a crimine falsi
mandatum; prohibet etiam mendacia nec non
spernentis Dominum stolidi periuria serui.

Mortalis culpa mendacia sola uetantur.
3025 Is, qui mentitur, non credit iudice corde,
quod uerum teste mendaciter asserit ore,
Quando mentiris, ut damnum sentiat alter,
te dura perimis mortalis morte reatus.

Quando ioci causa mentiris, laedere nolens,
3030 te maculas tantum uenialis puluere culpa.

51v Quando mentiris, ne frater ab hoste necetur,
ens imperfectus tantum uenialiter erras,
perfectus premeris mortalis pondere culpa,
si sic perfectus existas, ut tibi mors sit
3035 in desiderio, cupienti a corpore solui
et iocundari cum Christo pace perenni,
sic degustanti, quam suauis sit Deus, ut quae
sunt bona terrena quaeuis uideantur amara,
sic ex commissis constricto pluribus istam
3040 uitam negligere, ne possis absque reatus
mortalis labe mentiri propter eandem.

Si iuramento uel uoto se obliget is qui
non est perfectus etiam nullatenus umquam
mentiri, constat ipsum nullatenus ultra
3045 mentiri posse sine dira morte reatus.

Huius praeterea uitae seruare salutem
intendens fratri peccas mortaliter, ex quo

3017 malagma R2: mal.gma Rac

3032 imperfectus R1: perfectus Rac

3021 sch. Octaua chorda. 3022 sch. Nota tria quae dicit. 3025 sch. Allu-
dit etymologiae. 3028 sch. Nota: sic est mentiri mortale peccatum. 3042
sch. Casus in quo imperfectus non potest mentiri sine mortali. 3047 sch. Quasi
dicens: sicut magna fraus est peccatum mortale imperfecto, sic parua fraus est mor-
tale perfecto.

- decipis ex animo: sic captio quaelibet et fraus,
 quamuis exilis, perfectum dedecet omnis.
- 3050 Econtra, quamuis perfectus, quando iocando
 mentiris, nulli prodesse uolens uel obesse,
 cum careas fraude, cum nolis fallere, quamuis
 pecces, non animae tamen infers lugubre letum.
 Non imperfectus mentiri debet, ut alter
- 3055 non occidatur, licet excusetur ab omni
 culpa mortali; nec compensatio iusta est,
 si tangat minimam culpae uenialis harenam,
 ne sub mole grauis peccati corruat alter.
 Non tamen ad mortem quaesitum prodere debes;
- 3060 non artaris, ut aut prodas, qui quaeritur, hosti
 52r aut falsum dicas: licet occultare, quod absque
 peccato non est licitum tibi pandere, uerum;
 si te praesumat uerum reticendo fateri
 inquirens et sic perimat, quem comperit, hostem,
- 3065 cum iusto zelo uerum suppresseris, etsi
 inde malum quod contigerit, non est tua culpa.
 Ora obstetricum non in mendacia soluit
 seruandi uitam pueris miseratio cordis,
 seruatis ante, quam mentirentur amore
- 3070 seruandi uitam propriam; quas censuit inde
 sanctus Gregorius mortem incurrisse reatus,
 praecipue cum sit merces collata caduca
 et declinata per culpam uita perennis;
 ast Augustinus docuit uenialiter illas
- 3075 mentitas, ideo quod tollere posset earum
 quamuis mortalem leuis emendatio culpam,
 ut leue placamen uenialis culpa requirit.
 Aut, quae mentitae fuerant uenialiter ante,

3070 quas censuit *R2* (*tantum c renouato*) & *R1* (*s c ex m factis*): quam *Rac*, censuit
nondum scripto

3074 ast *R2*: est *Rac*

3052 *sch.* Casus quando perfectus mentitur sine mortali peccato. 3065 *sch.*

Nota. 3067-70 Exod. 1,15-21. 3070-74 Greg. Moral. XVIII, 3,6.

3074-77 Aug. Quaest. in Hept. Lev. 68 *apud* P. Lomb. III, 38,1,3. 3075 *sch.*

Nota: culpa uenialis dupliciter dicitur, quia uel substantialiter uel emendaliter.

3078 *sch.* Alia solutio.

- quando, quibus miti statuerunt parcere corde,
 3080 se iugulaturas spondebant ore minaci,
 saluatis pueris propriam defendere uitam
 sunt per mortalis culpae mendacia nisae.
 Ueraces sensus ostendit mysticus illos
 sanctos, quos perhibent mentitos uerba fuisse.
 3085 Principis hypocrisi maledicens Paulus in eius
 persona regnum sublatum dixit Hebraeis.
 Quod Patris et Christi reditura fides ad Hebraeos
 sit tandem, pueris promisit praescius Abram.
 Iacob se dicens Esau dixisse probatur,
 3090 quod deberetur ipsi benedictio prima.
 52v Ironice Hieu promisit se magis Achab
 deseruiturum statuae Baal, unde peremit
 eius presbyteros ipsamque in frusta redegit.
 Aut, quamuis sancti proferrent falsa scienter,
 3095 non sunt mentiti, quoniam parere paratis
 consilium uisum est ipsorum mentibus illa,
 quae Deus inspirans monuit dicenda, referre.
 Praeferri debet uerbis intentio sancta:
 quare sanctos, quos intentio sancta tuetur,
 3100 non possunt sola mendaces uerba probare.
 Qui falsum iurat, periurus dicitur, etsi
 non peccet, quando, quod iurat, non sine causa,
 non temere, non incaute uerum putat esse;
 quando, quod iurat, temere uerum putat esse,
 3105 non est a culpae uenialis puluere mundus.
 Semper periurus, qui iurat falsa scienter,
 mortalis culpa reus est. Non uoce, sed actu
 iuris iurandi transgressor dicitur omnis
 periurus, quamuis non transgrediendo reatum
 3110 quilibet incurrat, sed quando iurat iniquum.
 Qui iuramento uerum quicquam asserit esse,

3091 Hieu *Gz collato Petro Comestore*: ihcu *R*

3093 frustra *R2*: frustra *Rac*

3110 quando *R*, *Gz(txt)*: qui non *Gz(comm)*

3085-86 Act. 23,2-5. 3087-88 Gen. 22,5. 3087 *sch.* Dicens "reuertar ad uos" loquens pueris suis. (*Gen.* 22,5). 3089-90 Gen. 27,19. 3091-93 IV Reg. 10,18-28. 3094 *sch.* Optima solutio.

- aut mox periurus est et culpabilis, aut mox
a iuramento, si iuret uera, solutus.
- Qui iuramento promissum roborat, et, quod
3115 iurat, non animam conseruatam enecat, ante
quam iuramenti fiat transgressio, nemo
scire potest, utrum peccet periurus habendus.
Quod quantumcumque fuerit iurare coactus,
si sine peccato possit, seruare tenetur.
- 3120 Nullus iurare praecise cogitur, immo
53r ad iuramenti se transfert sponte iuamen,
cui uitare placet aliud quodcumque grauamen;
unde coactorum sunt iuramenta uolentum.
Ut reddi uota sic iuramenta iubentur
- 3125 naturae lege, quam nulli infringere fas est.
Unde liquet papam non posse absoluere quemquam
a iuramento, quin peccet transgrediendo,
quod sine peccati ualet obseruare reatu;
absoluendo tamen infami reddere famam
- 3130 papa potest, possit ut testis idoneus esse,
qui uelut infamis potuit de iure repelli.
Qui iuramenti causa iurare coactus
soluit promissa, repetit de iure soluta;
sed si iurasset etiam de non repetendo,
- 3135 non in iure petat, animam praeferre solutis
affectans, immo crimen denuntiet ausi
contra animam contraque Deum retinere soluta:
et sic praeceptum Domini prudenter adimplet,
et sua consequitur feliciter absque reatu.
- 3140 Debet enim cogi detentor reddere res, quas
detinet iniuste, cum non a morte reatus,
ni res restituat detentas, surgere possit;
ob quamcumque tamen causam parere recusat
detentor, debet potius iurare coactus
- 3145 rerum damna pati quam religione relicta
iuris iurandi priuari luce perenni.
Quamuis quorundam fuerit sententia, quod non

3124 Ut Gz: ? R_{pc}: At Rac (littera A partim erasa est, fort. ut a rubricatore in V mutaretur;
correctio uero numquam ad finem perducta est)

3142 possit Rac, Gz: posset R2

3143 quamcumque R2: quamque Rac

obliget extorta per uim iuratio quemquam,
cum nec iurantis censerī debeat, immo
3150 cogentis per uim nimiam, promissio facta.

53v Octauī chorda mandati dulce sonante
corruet octaua uitandi bestia falsi.

Uxorem alterius ne quis desideret, etsi
non tangat, noni mandati lege uetatur,
3155 ut desiderii succumbat bestia foedi.

Ne quis agrum uel equum uel rem quamcumque cupiscat
alterius, decimi mandati lege cauetur,
ut pariter decima fera corruat, aegra cupido.

Haec duo non eadem sunt praecedentibus: istis
3160 affectus solus, illis prohibetur et actus.

Sic animus cohibent specialiter haec duo; quippe
non animus ueteri cohibetur lege, sed actus.

Uel, quia punitur manuum transgressio lege,
non animus, lex non animum cohibere sed actum
3165 dicitur; at noua lex animum sic punit ut actum,
non ut membrorum truncatiō poena sequatur
legalis, sed peccatorem utriusque reatus
uere paeniteat, solius cordis et actus,
atque Deum placet contriti munere cordis.

3154 noni *Go, Gz*: noui *R*

3153 *sch.* Nona chorda.

3156 *sch.* Decima chorda.

LIBER VI

- 3170 Uirtutum uestes habuit pater ante ruinam,
in quibus est similis Auctori factus; et illis
expolauit eum prostratum praedo reatus.
Non in gratuitis sic confirmandus, ut ultra
non posset labi, qui nec peccaminis ictu
- 3175 sic ruiturus erat, ut non exsurgere posset.
Non in spiritibus sic accidit; immo manentes
non poterant ultra labi, nec surgere lapsi.
Non peccante patre fortassis cum patre proles
expectanda simul quoque confirmanda fuisset.
- 3180 Extasis illius data tempore prima uidetur
54r gratia iustificans; quid enim fuit extasis illa,
quid fuit ille sopor, nisi contemplatio quaedam,
quando beaui eum uirtutum luce Creator
et sacramenta reserans arcana profundi
- 3185 sensus edocuit in mundi fine futura,
quando prophetando rediens ad se pater inquit:
'Hoc os ab osse meo, de carne mea caro nunc est'?
Inde Deo plenus sic scripsit apostolus: 'Istud
extat in ecclesia sponsa Christoque marito
- 3190 grande sacramentum'; quare tunc creditur illi
inspirata fides ac incarnatio Christi
morsque reuelatae mundique redemptio morte.

3170 *sch.* De statu secundo, scilicet uirtutum. 3171 *sch.* Homo similis est deo
in gratuitis. 3176 *sch.* Qui non ceciderunt. 3177 *sch.s.l.* (lapsi) Angeli.
3179 *sch.* (confirmanda) Glorificanda. 3180 *sch.* In secundo statu raptus quasi
in extasim accepit multas scientias. 3181 *sch.* Exponit quid fuerit illa extasis de
qua dicitur. 3187 Gen. 2,23. *sch.* (Hoc) Prophetia Adae. 3188-90.
Eph. 5,32. 3190 *sch.* Obicitur: quandocumque fuit sacramentum ecclesiae in
usu, fuit ecclesia; sed ante lapsum primi hominis fuit sacramentum ecclesiae in usu;
ergo tunc fuit ecclesia. Contra: postquam ecclesia coepit esse semper fuit; sed in
lapsu Adam ecclesia < non > fuit; ergo tunc non incepit ecclesia; quod uerum est,
quia ecclesia incepit ab Abel. Sed nota: est sacramentum signum rei sacrae, et est
ipsa res sacra; signum incepit ante tempus Abel, sed non ipsa res sacra.

- Hinc incarnandi Uerbi fidei fuit illud
tempus origo, licet ex tunc ualuisse legatur
3195 illa fides, quando generis corruptio coepit
humani; sed ea dicti ratio, quia praeter
praedictae fidei meritum post sordida tolli
corruptrix generis humani culpa nequiuuit.
- Sed, quae cognouit Domino reserante futura,
3200 sciuit non absque culpa contingere posse;
ergo, quod in culpam quandoque uel ipse uel alter
esset casurus, praeuidit. - Eam tamen ad se
non deuoluendam timuit, nec mente reuoluit
tantum, quis caderet, quod se deprendere posset
3205 casurum, ne sic praecederet ultio culpam:
quare non timuit, non credidit et uelut errans
non se casurum discredidit, immo doloris
ac omnis poenae fuit expers spiritus eius.
Tempore saepe fides et spe prior est et amore;
3210 credit enim, qui nec sperat nec diligit. Inde
54v natura prior est, quoniam communior; unde
credit, quicumque sperat uel diligit, et non
e conuerso, saepe fide consorte carente.
Haec quasi materia est, spes et dilectio tamquam
3215 formae: materiam forma patet esse priorem;
haec fundamentum est illarum, cum super ipsam
et sua comprehensa motus fundentur earum;

3197 *predicte R2: predicite Rac*

3204 *deprendere A², Gz: deprehendere R*

3201 *sch.* Obiectio. 3202 *sch.s.l.* (praeuidit) Adam. *sch.* (eam) Solutio.

3205 *sch.* Quia si timeret, doleret; et sic poena praecederet culpam, quod est falsum. 3209 *sch.* Fides et spes caritatem praecedere uidentur, et hoc intellige: non quia fides et spes caritatem, omnium uirtutum matrem, tempore uel causa praecedant, sed quia caritas sine illis in aliquo esse non potest, sed illae sine caritate. (*P. Lomb. III, 25,5,2*).

3216 *sch.* Apostolus: haec est fundamentum quod mutari (nutari *R*) non potest, quae posita in fundamento neminem perire sinit. (*I. Cor. 3,11*).

3217 *sch.* Contra: In Sententiis (*P. Lomb. III, 23,9,2*): "Fides non est fundamentum caritatis, quia non ipsa caritas, sed caritas ipsius uirtutis fidei causa est". Hoc autem secundum opinionem magistri in Sententiis est, quia supponit caritatem uirtutem in nobis esse spiritum sanctum, hoc autem à pluribus non creditur.

- dirigit haec illas: quid speretur, quid ametur,
qualiter et quare, fidei lux praeuia monstrat.
- 3220 Nec formata fides praecedit tempore, quippe
omni uirtuti formam dilectio praestat,
nec ualet effectus propriam praecedere causam.
Sed 'fundamenti' nomen formata meretur
et non informis: uirtus in corde fidelis
- 3225 Christum constituens est tanto nomine digna.
Non quia praecedit, uerum quia per bona nutrit
uirtutes opera, dilectio mater earum
dicitur esse, sine quibus haud subsistere possunt,
ut sine nutrice nec uitam protrahit infans.
- 3230 Inde 'fides operum defectu mortua', non quae
formam uirtutis habet, a qua uita salutis
procedit, sed uel quae formam perdidit, aut quae
informis mansit operum ieiuna bonorum;
mortua censetur operum sine pane bonorum
- 3235 uana fides, acinum sine uino, flos sine fructu,
spica carens granis, argento nuda moneta,
pauper amurca manens olei uiduata ualore,
post oleum remanens exilis amurca ualoris.
Ipsa fides, tantum mensurate data cuique
- 3240 pro libito dantis, fidei mensura uocatur;
55r iuxta quam cuncta tribuuntur dona (uocatur
et 'uirtus' propria, non naturalia, dona),
iuxta quam seruis bona multiplicanda profectus
commisit dominus. Sed Christo non data dona
- 3245 sunt ad mensuram; nil creditur omnia clare
cernens comprensor, quamuis in carne uiator:
immensum ueri solis iubar, omnia plene
noscentis, sicut oculis subiecta, futura,
lux fidei, super his, quae sunt incognita, tamquam
- 3250 quolibet humano non apparentia sensu,
argumentantis dubie, tolerare nequiuit;

3234 censetur *RI*: censentur *Rac*

3244 dona *RI*: dota *Rac*

3230 Iac. 2,17. 3239 *sch. R2* In epistula ad Romanos: unicuique sicut deus
diuisit mensuram fidei (*Rom. 12,3*). 3243-44 Matth. 25,14; Marc. 13,34.

3244-45 Ioh. 3,34.

uel transcenderunt mensuram quamlibet, in qua
 dona quis accepit, Christi permaxima dona.
 Mensuris paribus tamen haud aequalia semper
 3255 respondent dona, nec semper praemia dantur
 in terris paria, quibus est dilectio compar.

Ad motum fidei cum dentur dona, uidetur
 ipsa fides tribui, quae gratia prima uocatur;
 quod tamen esse nequit, cum gratis gratia prima
 3260 detur, non meritis reddatur, cum prior omnis
 uirtus sit proprio motu, quo quisque meretur.
 Hinc fidei motu uirtutem nemo priorem,
 at tamen augmentum uirtutum quisque meretur.

Uel, licet augmentum uirtutum conferat omnis
 3265 uirtutis motus, debet meritum tamen omne
 ascribi fidei, quae motum dirigit omnem
 ad metam, sine qua minime meritorius esset;
 uel parit inde fides meritum, quia passio Christi
 creditur, et per eam meritum conquiritur omne.

Uerum, cum meritum non producat nisi motus
 55v uirtutis uel opus, mediatrix semper adesse
 inter opus fideique uiam dilectio debet:

reddit opus gratum dilectio grata, nec ipsa
 grata fit absque fide grata, quae dirigit illam;
 3275 dicitur inde fides opus exercere per illam,
 quamuis eius opus eius sit motus, ut omnis
 uirtutis, quamuis operetur et ipsa per omnem.

Et licet in prima praecedat origine motus
 uirtutum motus fidei, postquam tamen omnes
 3280 infusae fuerint, sic connectuntur, ut ipsam
 sic aliae, sicut alias prior excitat ipsa:
 credit sub tali et sperat dilectio sensu.

Attribuuntur item fidei miracula, ne quis
 ambigat, an prosit in eis dilectio maior;

3254 haut *Gz*: aut *R*

3264 Uel *Gz*: Vt *R*

3272 opus *RI*: opes *Rac*

3273 *sch.* Apostolus: Fides est operans per dilectionem (*Gal.* 5,6).
 Cor. 13,7. 3283 *Matth.* 17,19; 21,21; *Luc.* 17,6; *I Cor.* 13,2.

- 3285 uel fidei maior est ad miracula uirtus:
 uirtutes aliae cum circa propria tantum
 consistent, ipsa, deitatis cuncta potentis
 scrutans arcana, quo plus comprehendit, eo plus
 ad facienda ualet miracula, cuncta potentem
- 3290 non dubitans iustis precibus nil uelle negare.
 Non est ad meritum fidei quid credere certum;
 humano sensu, uisu percepta sciuntur,
 nec proprie credi dicuntur. Quod Deus esset
 Christus, non uidit Thomas, sed credidit; at, quod
- 3295 esset homo, uidit oculis, non credidit ex hoc,
 quod uidit; nolens tamen assentire profanis
 errorum sectis, quod homo ueraciter esset,
 credidit, ex anima constans et corpore uero.
 Non est de notis, non de uisis neque certis
- 3300 nostra fides, quamuis nihil ipsa certius extet:
 56r uel quia nil hominem sic firmum reddit ut ipsa,
 non formidantem tormentum mortis acerbae;
 uel, quae creduntur, licet ignorentur ab illis,
 qui credunt, certe tamen et ueraciter extant.
- 3305 Non est ista fides uirtus, qua creditur, immo
 ista fides hoc est, quod creditur; hancque praeire
 semper oportebit aeternae gaudia uitae.
 Articulos fidei ueros non ambigat ullus;
 cunctari nullus incredulus audeat, an sint;
- 3310 quomodo sint, nullus temere definiat: illic
 est potior timida dubitatio quam nimis audax
 error; semper enim sententia cauta ferenda est,
 quando per errorem surgit iactura salutis,
 ira Dei, fuga uirtutum, corruptio morum,
- 3315 mors animae, laqueus Satanae, confusio culpae.
 Clarior explicitae fidei distinctio non est
 parui, sed magni; non est rudis, immo periti:
 saluari possunt, maiorum credita, quamuis
 quae sint ignorent, si credant uera, minores;

3295 non R: nec Gz

3300 extet R2: extat Rac

3293-94 Ioh. 20,24-29. 3305 sch. Augustinus: Aliud est quod creditur, aliud fides qua creditur (*Aug. De Trin. XIII, 2,5 apud P. Lomb. II, 27,8,5*).

- 3320 unde boues pastis asinabus arasse leguntur.
 Quamuis inuitus quis mortem credat amici,
 omnes articulos fidei non credere posse
 inuitum constat, qui tantum Pneumatis almi
 dono creduntur, quod oportet habere uolentem;
 3325 uel nequit ad meritum quicquam quis credere nolens.
 Antiqui patres credebant, quod Deus esset
 incarnandus, quod mortem passurus amaram, .
 quod surrecturus a morte, quod omnibus esset
 pro meritis iudex in mundi fine futurus;
 3330 nec super ipsius dubitauit morte Iohannes,
 56v sed compassiua fuit eius quaestio tantum.
 Aduentum Christi praecessit quatuor horum
 compresiua fides in sanctis patribus, in qua
 omnes saluati meruerunt gaudia caeli
 3335 et decesserunt iusti dignique perenni
 laetitia. Quamuis functis contingere posset,
 quod non aeternae meruissent gaudia uitae,
 quodque fides in eis non uirtus uera fuisset
 - nam potuit Christus, non sumpta carne, fuisse
 3340 numquam sumpturus carnem: clementia sola
 ipsum pro nobis induxit sumere carnem;
 factus homo est non compulsus, sed sponte misertus -;
 uel meruere fide falsi, si non Deus esset
 incarnandus; sed pariter, qui credere falsum
 3345 nollet, damnari deberet, quodque futuro
 saeclo non posset sciri, deberet in isto
 credi, diligeret quoque uerax falsa Creator.
 Nonne subest fidei falsum, cum creditur esse
 hoc corpus Christi, quod non est? sed, nisi cuncta
 3350 assint, quae uera conuersio postulat, absit
 sub specie panis quem Christi credere corpus;
 sic nullus credat, caelestem quod quis in aulam

3336 functis *RI*: ... ctis *Rac*

3346 saeclo *R* (*c supra lin. secundo addita ?*)

3320 Iob 1,14. 3330-33 Matth. 11,2-3; Luc. 7,18-20. 3332 *sch.* Praedicta in
 proximo capitulo. 3339 *sch.* Probat hoc. 3343 *sch.* Solutio. 3344 *sch.*
 (pariter) Obiectio. 3345 *sch.* (quodque) Obiectio. 3347 *sch.* (diligere) Obiectio.

debeat intrare, si non durauerit usque
ad finem uitae Christi uestitus amore.

3355 Solas lux tenebras expellit, gratia culpas,
non bona gratuita, non quae sunt dona superna;
unde fidem, licet informem, non pellit amoris
adueniens ignis, peccati nube carentem,
donum gratuitum, quamuis sine luce, manentem.

3360 Sic durante fide ueteri, licet ignis amoris
57r ipsius hospitium nouus illustrauerit hospes,
de qua nunc motus tantum meritorius exit,
constat, quod forma perduret ab hospite sumpta
iam formata fides, informis quae fuit ante,

3365 ex forma tantum 'uirtutis' nomen adepta,
ut sit per formam uirtus, quae reddere iustum
grata Deo ualeat, et uirtus desinat esse,
si lux informans prius extingatur amoris.

Cum donum fidei, quamuis informis, ab igne
3370 caelitus accenso non consumatur amoris,
quomodo bina fides in iusto permanet uno
(una manens semper informis, et altera uirtus
informata fides, sine qua dilectio uirtus
esse nequit), cum sint eadem comprehensa, nec alter

3375 ex informata motus procedat et alter
motus ab informi? Si quis procedat ab illa,
cum motus fidei iusti meritorius extet,
matreque gignatur talis uirtute propago,
sic antiqua fides, de qua procederet, esset

3380 uirtus per formam, quam suscepisset, amoris,
solaque sufficeret antiqua fides, noua uirtus;
si nullus posset ab ea procedere motus,
ergo superflueret et prorsus inutilis esset.

Quando Petrus Christum nimio terrore negauit,
3385 non fidei lumen scriptura teste reliquit:

3380 suscepisset R2: suscepit Rac

3358 sch. (carentem) Fidem dico carentem. 3359 sch.s.l. (manentem) Fidem
scilicet. 3371 sch. Scilicet fides informis et fides formata. 3375 sch. Quasi

dicens: si diuersi motus, diuersae essent uirtutes. 3382 sch.s.l. (ab ea) Informi
scilicet. 3384 Matth. 26,69-75; Marc. 14,66-72; Luc. 22,55-62; Ioh.

18,25-27. 3385 sch. Nota.

sic fuit extinctum uirtutum lumen, et ante
informata fides forma nudata remansit;
unde manet salua fidei substantia, quamuis
uirtus incipiat uel uirtus desinat esse.

- 3390 At, licet ens uirtus credentem reddere iustum
57v possit, et effectum talem non possit habere
informis, nemo formatam deneget ante
informem quandoque fuisse; nouum noua forma
effectum merito praestat, sed non nouus aufert
3395 effectum ueterem, qui semper proximus extat,
consistens in eo, quod credi debita credat
eius possessor, seu taetra nube reatus
noctescat, siue uirtutum luce diescat.
Sic et iustitia, sic et prudentia, sic et
3400 informes aliae, quando informantur amore
sancto, catholicae fiunt meritoque uocantur
uirtutes, ueluti ui contra crimina stantes.
Nil informatur proprie, quod non fuit ante,
quam formaretur; hinc ante fuisse probantur
3405 uirtutes, quae per formam renouantur amoris.
Iustitias naturales, quando sine forma
sunt, appellat eas sacra pagina, non quia confert
ipsas natura per se; sed eas Deus illis,
non quos iustificans illustrat gratia, donat,
3410 sed quibus est ratio, quibus intellectus ad omne
interius tenue lumen uisumque remissum;
inter quos hae sunt quasi naturalia, cum sint
tantum gratuita, quamuis informia, dona.
Has secum ad Christum multi portasse leguntur:
3415 centurio uenit cum seruis talibus; unde
eius iustificans amor informauit eosdem.
Non naturales sic sunt, ut munere dentur
naturae, cum non homini tribuantur ab ortu;
qualiter infanti uel naturalis inesset

3401 fiunt *R(2)*: fuerit *Rac*

3416 eosdem *R*, *Gz(txt)*: eadsem (*sc.* uirtutes) *Gz(app)*

3402 *sch.* (crimina) Alludit uocabulo.

3403 *sch.* (informatur) Obiectio.

3406-08 Rom. 2,14-15.

3415 Matth. 8,5-13; Luc. 7,2-10.

sch. (seruis)

Uirtutibus, scilicet naturalibus donis.

- 3420 siue fides, siue prudentia, siue quibusque
58r reddens iustitia, quae reddi propria debent,
 quem non permittit omnino scire quid aetas,
 et non a culpa lauit baptismatis unda,
 et sic nec retinet habitu, quas non habet usu?
- 3425 Sicut scriptura testatur, credere tantum
 diuini doni est, naturae credere posse.
 Quamuis iustitia, quamuis prudentia, quamuis
 et reliquae tales in Adam fortasse fuissent
 ante statum medium, naturales tamen inde
- 3430 non ostenduntur in primo patre fuisse;
 quippe pater primus quamuis in tempore primo
 non illustratus uirtutum luce fuisset,
 multa tamen gratis ipsi collata fuerunt
 a Domino dona, non naturalia sola.
- 3435 Posteriore prior spes posteriorque priore
 est tamquam media, siquidem praecedat amorem
 subsequiturque fidem; uerum non est amor iste
 cuncta creans, cuncta praecedens Spiritus almus,
 qui Patris et Proles dilectio saepe uocatur,
- 3440 sed uirtus animi, quam tempore saepe praecire
 spes solet informis; indignus quippe salutem
 multotiens sperat, nulla uirtute potitus.
 Spes autem uirtus est expectatio certa
 aeternae uitae, ueniens ex munere Christi
- 3445 gratuito, meritis quoque praecedentibus, haud spem
 ipsam, cuius habet praecedere motus amoris
 motum, quo merita subsistunt omnia, uerum
 rem, quae speratur, aeternae gaudia uitae;
 nam sperare sine meritis praestanda perennis
- 3450 praemia laetitiae magis est praesumptio quam spes.
58v Sed spes informis meritis caret, unde uidetur
 diuinum donum non esse; sed absit, ut omnisi
 sit spes informis praesumptio: saepe salutem

3424 *sch.* Habitus praecedit usum. 3425-26 Aug. De Praedest. Sanct. V, 10 (PL 44: 968) in Sententiis Prosperi Aquitani 136 (PL 45: 1887) *apud* P. Lomb. II, 28,3,5. 3435 *sch.s.l.* (Posteriore) Caritate scilicet. *sch.s.l.* (priore) Scilicet fide. 3441 *sch.* (indignus) Probat quod dixit. 3443 *sch.* Exponit quid sit spes uirtus. 3445 *sch.s.l.* (haud) Non. 3448 *sch.s.l.* (aeternae) Scilicet. 3451 *sch.* Obiectio. 3452 *sch.* Solutio.

- utiliter sperat peccator et instat amaris
 3455 fletibus, ut Dominum placet mundetque reatum.
 Spes non comprehendit mala, sed tantum bona; spes non
 est de praeteritis aut de praesentibus, immo
 uenturis tantum: quamuis haec cuncta priori
 conueniant fidei, quae differt pluribus a spe.
 3460 Sed de subiectis oculis uel sensibus ullis
 corporeis non huic aut illi conuenit esse:
 nullus uel credit uel sperat, quod uidet, immo
 scit, non expectans praesens quandoque futurum.
 Non fuit in Christo sperante, Deoque fruente
 3465 semper, spes uirtus; sed se sperauit easdem,
 quas habet, egregias habiturum in corpore dotes,
 et tamen omnisciens hoc ipsum sciuit; at ipsum,
 quod sciuit, non expertus sperauit, et ex tunc
 omnis spes abiit, quando experientia uenit.
 3470 Spem tamen admisit tantum substantia serui,
 non natura Dei, cui nil accrescere posset;
 sic, licet in speculo deitatis se Petrus illas
 aspiciat dotes habiturum, sperat easdem.
 Has dotes numquid purus sperare uiator
 3475 spe uirtute potest, cum non sperauerit illas
 spe uirtute Iesus? Numquid non est eadem spes
 haec illi specie, quamuis uirtus sit in uno
 et non in reliquo? uel in uno num simul esse
 spes uirtus una, non uirtus altera possunt?
 3480 Quamuis praecipue propriam sperare salutem
 59r debeat omnis homo, tamen hinc sperare salutem
 alterius quem posse liquet, quia non licet ulli
 desperare super uiui cuiusque salute;
 sed, quanto melior est glorificatio carnis
 3485 cuique suae, tanto potius speranda uidetur.

3464 sperante *R*: spectante *Gz*

3467 omnisciens *A¹*, *Gz*: oñ sciens *Rpc*: oñesciens *Rac*

3469 abiit *R2*: obiit *Rac*

3482 licet *Gz*: liquet *R*

- Quamuis post istam uitam durare fides et
 spes nequeant, numquam dilectio, maior utraque,
 excidet, in uita minor hac maiorque futura,
 in Sion ignis ens Ierusalemque caminus,
 3490 uirtutum mater, ignis nubisque columna,
 aptans forma modum uirtuti cuilibet aptum,
 omne, quod offendit, deponens prorsus ab omni.
 Haec onus est Domini leue, suaue iugum, uia cunctis
 excellentior in caelum, fons proprius a se
 3495 omnem secludens alienum, quem magis auget
 quam minuat, quo fit potantum copia maior;
 haec oleum, quod uirtuti supereminet omni;
 haec mel, quod Samson extraxit ab ore leonis;
 haec condimentum, sine quo deprenditur omne
 3500 esse opus insipidum, corruptum morte reatus;
 haec gestatorem uestis pretiosa decorans,
 frigus culparum pellens uitaeque perennis
 ardorem praestans; et ea quicumque carebit,
 post istam uitam caelesti pulsus ab aula
 3505 flebit in externis tenebris proiectus, ibique
 stridebunt dentes, manibus pedibusque ligatis.
 Haec quoque psalterio decachordo consonat apte:
 significantur enim duo testamenta duobus
 asseribus, pennis binis dilectio bina,
 3510 atque decem chordis totidem mandata Tonantis;
 59v ista nouum non est mandatum, tempore legi
 inscriptum Moysi, semper sine fine tenendum:
 immo, uetustatis tenebras a corde fugante
 a Domino gratis accensa luce superna,
 3515 haec est mandatum latum completio legis,

3496 minuat *R(I)*: minuit *Rac*

3486-88 I Cor. 13,8; 13,13. 3489 Is. 31,9. 3490 Exod. 13,21; II Esdr. 9,12; 9,19. 3491 *sch.s.l.* (Aptans forma) Caritas. 3493 Matth. 11,30. 3493-94 I Cor. 12,31. 3494-96 Prov. 5,15-17; Aug. Enarr. in Psalm. 103,3 sermo 1,9 *apud* P. Lomb. III, 31,1,2. 3495 *sch.s.l.* (alienum) Infidelem. 3498 Iud. 14,8. 3501 *sch.marg.sin.* Caritas. *sch.marg.dext.* Habentem uestem nup< tialem> (*Matth. 22,12*). 3503-06 Matth. 8,12; 22,13. 3511-16 Lev. 19,18; Deut. 6,5; Matth. 22,36-40; Marc. 12,18-27; Ioh. 13,34; Rom. 13,9-10; I Tim. 1,5; Gal. 5,14; Iac. 2,8.

de qua lex omnis pendet pendenteque prophetae.

Talis amor, qualis ignis, cognoscitur esse:
mobilis et siccus, calidus, subtilis, acutus.

Mobilis ignis amor ad caros transit et hostes;
3520 siccus ab humore culpae uitaeque perennis
ex desiderio calidus, subtiliter intrans
mentes subtilis, penetrans censetur acutus.

Et Deus est semper et proximus omnis amandus,
propter quos gemina dilectio dicitur, una
3525 existens tantum; sed toto corde priorem
ac anima tota, tota quoque mente supra se,
ac alium sicut se, quisque tenetur amare.

Totius cordis amor est, cum sanus amantis
est intellectus, quem nullus sauciat error;
3530 ex tota mente surgit dilectio, quando,
qui Dominum meminit, non obliuiscitur eius;
ex anima tota procedit motus amoris,
quando uoluntati nil contradicit amantis.

Aut de praecipuis mandatum motibus et non
3535 omnibus acceptum poterit complere uiator;
aut intellectum de cunctis motibus etsi
impleri nequeat in terris, utilis eius
cognitio causa fuit editionis aperta.

Proximus omnis homo est, inimicus sicut amicus.
3540 Hunc propter Dominum debemus amare, sed illum
60r in Domino, neutrum quantum, sed utrumque uelut nos,
ad conquirendum caelestis gaudia uitae;
aut alium sicut se diligit omnis egenti
sic pietatis opus impendens, sicut ab illo
3545 impendi uellet sibi, si par esset egestas,
et nihil iniuste faciens alii, quod ab illo
aeque supra se posito fieri sibi nollet.

Proximus est omnis etiam bonus angelus, unde
omnem sicut nos ipsos debemus amare,
3550 laetitiae congaudentes cuiusque perenni,
quamuis optemus nobis ardentius ipsam.

Proximus est Christus, sed non includitur isto

3528 sch. Soluit. 3530 sch. Nota. 3534 sch. Aliq̄ solutio. 3540 sch. Inimicum (ad hunc referendum). 3543-47 Matth. 7,12; Luc. 6,31; Tòb. 4,16.

- mandato, Factor transcendens omnia facta;
 immo de Domino summo dilectio summa
 3555 summum mandatum simul et speciale requirit;
 aut in eo quod homo Christus, quamuis sit amandus
 sicut homo, Christum tamen unusquisque tenetur
 plus se diligere, congaudens eius honori,
 qui genus humanum de perditione redemit:
 3560 sic, quamuis alios quasi nos teneamur amare,
 nos in amore tamen iuste praeponimus ipsis.
 Cum 'quasi nos' alios homines iubeamur amare,
 nos, animas nostras et corpora, de quibus omnes
 constant, includi mandato constat amoris.
 3565 Supra nos Deus est, super omnia semper amandus;
 iuxta nos homines sunt, infra corpora nostra.
 Plus homines iuxta positos quam corpora nostra,
 quae supponuntur nobis, debemus amare:
 ipsis debemus magis exoptare perennem
 3570 uitam quam nostrae praesentia commoda carni,
 60v sed non aeterna, quia non stola prima praeibit,
 si non corporea quandoque secunda sequatur;
 hinc, sicut primam, sic possum iure secundam
 alterius, licet aeternae, praeferre saluti.
 3575 Dicens, quod patiens dilectio quodque benigna
 sit, certis signis designat apostolus ipsam,
 sed non definit, siquidem dilectio non est
 uirtus distincta per se patientia, uerum,
 qui patiens est, quod potiatur amore, uidetur.
 3580 Huic peccatorum quandoque remissio, sicut
 et fidei, solet attribui: sunt multa Mariae
 hinc, quia dilexit multum, peccata remissa.
 Nec tamen alteruter uacat, immo dirigit illa
 ad portum uitae motum, quem suscitatur iste;
 3585 sic, quamuis motus distincti sint, uelut ipsae

3555 spæciale R

3566 *sch.s.l.* (infra) Sunt. 3571-72 Greg. Moral. Praef. X, 20; Marc. 16,5 et Greg. Hom. in Evang. 21,2 *in hunc locum* (Pl. 76: 1170D-71A) *apud* Gl. Ord. (PL 114: 241C); Is. 61,7; Sirach 6,32; 15,5; 45,9; Apoc. 6,11; 7,14; 22,14. 3571 *sch.s.l.* (aeterna) Commoda. 3575-76 I Cor. 13,4. 3581-82 Luc. 7,47. 3583 *sch.s.l.* (illa) Fides. 3584 *sch.s.l.* (iste) Amor.

uirtutes, saepe tamen attribuuntur amori,
 qui motus omnes informat et excitat eius
 causa, qui cuncta solus peccata remittit:
 nil facit ad ueniam, quod non fit ob eius amorem.

3590 Aut ad tollendas culpas poenasque perennes
 proficit ipsa fides, uerum dilectio tantum
 prodest ad poenas minuendas temporis huius.

Ut Deus est homine melior, sic motus amoris
 est in eum melior quam motus amoris in illum;
 3595 sed quantum bonus est, tantum meritorius: unde
 hic semper melior magis est meritorius illo
 et semper maior, quamuis proportio nulla
 excessus certam possit comprehendere summam.

Ex obiectorum uenit imparitate patenter
 3600 imparitas tanta, quamuis unius amoris
 61r unica sit radix motus utriusque; nec ista
 imparitas caret exemplo: procedit eisdem
 ex oculis uisus obscurior unus et alter
 clarior; ille ferit obscurum corpus et iste
 3605 solis splendorem, in immensum clarior illo.

Quamuis quisque magis mereatur, non tamen uno
 maius quam reliquo quisquam quandoque meretur;
 praemia mensurae respondent semper amoris.

Dans nummos mille magis unum dante meretur,
 3610 sed non maius, si dilectio par sit utrique:
 ex quanto quis det, non quantum, respicit Auctor
 rerum, qui nullis eget et creat omnia solus.

Hinc, quamuis opera bona multiplicentur amoris,
 una durante mensura, non tamen illis
 3615 praemia diuersa debentur; debita prima
 perdurant, donec intensio durat amoris.
 Nec uacat inde bonum quoduis opus; immo lauantur
 omni peccata, saltem uenialia, fitque

3611 respicit: solus *add. Rac, exp. R(2)*

3618 omni *R, Gz: omnia Pg*

3606 *sch.s.l.* (mereatur) Per uirtutes. *sch.* Obiectio. 3608 *sch.s.l.* *Siglis ap-*
positis indicatur uerba mensurae et amoris iungenda esse. 3609 *sch.* (magis) Quoad

ueritatem, non quoad coronam, si dantur ex eadem caritate. 3611 *Luc.*

21,1-4. 3617 *sch.* Solutio.

- pronior introitus ad caeli gaudia saepe
 3620 debita per saepe bona facta manentis amoris.
 Sic amor aut crescit aut deficit, ut sine uictu
 nullus homo uiuit: nec longe permanet iste,
 quin crescat uel deficiat, nec tempore longo
 uiuit homo, miseram nisi uitam protrahat escis.
- 3625 Quamuis augeri, quamuis dilectio possit
 prorsus deficere, tamen haud decrescere siue
 deminui multumue parumue potest, quia, si quam
 ipsius possent uenialia tollere partem,
 multiplicata magis possent consumere totam;
- 3630 sed cum mortali minimo uenialia nulla
 61v respondere queant, et ei dilectio tantum
 cedat, constat eam non per uenialia tolli.
 Quod semel amissa redeat dilectio tanta,
 quanta fuit, merita pariter redeuntia monstrant;
- 3635 sed quamuis eadem redeant, fortasse minora,
 quam fuerint, redeunt quandoque, minorque redire
 haud aliter poterit dilectio: praemia quippe
 respondent meritis, et amor respondet utrisque.
 Casus maiorem tollens in amore minori
- 3640 post consurgenti cautelae cessit ad usum,
 cautius ob lapsum peccata cauere studenti.
 Cum redeant, quanti fuerant, quicumque reatus,
 et meritum debet, quantum fuit, omne redire:
 quippe Deus semper parcens semperque benignus
- 3645 non potius poenas infert, quam praemia donet. -
 Sed non debetur peccatis omnibus una
 poena, uelut merces uirtutibus omnibus una
 debita mensurae semper respondet amoris,
 quo surgunt merita tamquam radice uirenti,
- 3650 unde minor rediens facit illa redire minora;
 at proprium post se peccatum quodque reatum
 linquit, et hinc propriam sibi poenam quodque requirit.

3628 uenialia *R1*: uenalia *Rac*

3640 consurgenti *R3* & *R1*: exsurgenti *Rac*

3627 *sch.* Obiectio.

3633 *sch.* Obiectio. 3639 *sch.* (maiolem) Caritatem.

3642 *sch.* Obiectio.

3648 *sch.* Uirtutes habent qualitates 'id est caritatem' sibi subiectas, et uitia siue peccata non habent qualitates sibi substratas.

Quo fieret iure peccati poena minoris
multo maiori peccato debita poena?

- 3655 Plus se quam Christum peccator diligit: eius
quippe uoluntati nimio temerarius ausu
uelle suum prauum praefert; animam minus et plus
corpus amat, perimens hanc, ut deseruiat illi;
sed plus iustus amat Christum, quam possit iniquus
3660 uel quicumque malus mundum uel corpus amare,
62r quamuis exterius pro mundo saepe labore
plus iniustus quam pro Christi iusto amore.

- Plus perfectus amat, quoniam Deus est bonus in se,
quam quoniam sperat aeternae gaudia uitae;
3665 imperfectus amat plus propter praemia semper
aeternae uitae, quam quod bonus est Deus in se.
Attamen utramque causam quia seruat uterque
semper, uterque bonus est mercennarius; ille
est malus, ob lucra qui tantum praesentia seruit.

- 3670 Hae tres uirtutes tria sunt tribus hostibus arma
opponenda: Satan clipeo succumbat amoris;
insultum mundi fidei lorica repellat;
atque spei galeae cedat temptatio carnis.

- Quamuis esse capax sensus aetate negetur,
3675 dum baptizatur, uirtutes accipit infans,
quas habitu seruet, non quas producat in actum,
usque superueniens aetas expostulet actum
nunc existentis habilis, cum uenerit aetas,
quas prius accepit dono, uirtutibus uti.

- 3680 Si tamen abductum carcer custodiat, ut nil
de Christo discens ignoret factus adultus
articulos fidei, quos debet scire fidelis,
numquid peccatum parit ignorantia talis,
ut quouis opere peccet iam factus adultus,
3685 quamuis nullius culpa se polluat actu,

3670 He *Rac*, Gz: Hec *R(2)*

3676 seruet Gz: seruat *R*

3678 uenerit *R(2)*: ueniret uel uenerit *Rac*

3670 *sch.* Caritas, fides, spes. Satan, mundus et caro. 3671 Eph. 6,14; 6,17;
I Thess. 5,8. *sch.s.l.* (amoris) Caritatis. 3674 *sch.* Quaestio.

ut, licet ex opere non peccet, gignat in ipso,
 quando patrat, tamen ignorantia culpam?
 Si tempus uel opus transcurreret absque reatu,
 a simili semper posset uitare reatum
 3690 et sine peccato posset decedere, quamuis
 62v articulos fidei nesciret factus adultus;
 et sic absque fide saluari posset adultus.

Hoc inconueniens quidam uitare uolentes
 concedunt, quod eum trahat ignorantia talis
 3695 in culpam, quamuis, cum primo uenerit aetas,
 dormiat aut operi cuius intendat honesto:
 sic ignorantem Deus ignorabit, ut ipsum
 non sciat, ut saluet, sed puniat igne Gehennae.

Pensantes alii, quanta pietate Creator
 3700 mitescat, cuius miseratio semper abundans,
 numquam defectum patiens, super omnia semper
 ipsius est opera, nolunt admittere, quod sic
 Auctor crudescat summae pietatis, ut ignis
 perpetis addicat poenis, quem fonte renatum
 3705 numquam polluerit peccato praua uoluntas.
 Notitiam fidei qui non neglexit habere,
 articulos fidei non spreuit credere, sed ui
 facta permissus non est uel discere quicquam
 uel magis audire de Christo, quomodo talis
 3710 propter defectum fidei culpabilis esset?

Ignorans merito satis ignorabitur ille,
 qui, quod scire potest uel debet, scire recusat:
 catholicam quicumque fidem contempserit et non
 credens finierit uitam, sine fine peribit.
 3715 Postquam de Christo credenda acceperit aut, ne
 perciperet, causa fuerit memoratus adultus,
 ex tunc, defectu fidei culpabilis, ignis
 perpetis incipiet poenis obnoxius esse.

3698 ut *R. Gz(txt):* aut *Gz(aph)*

3686 *sch.* Solutio quorundam.

3688 *sch.* Obiectio.

3692 *sch.* Ergo.

3694 *sch.* Solutio quorundam.

3697 I Cor. 14,38.

3699-702 Psalm. 144,9.

3699 *sch.* Bona solutio.

3710 *sch.* Quasi dicens: non.

3711 I Cor. 14,38.

3713 *sch.* Exponit ultimum uersum symboli (*Symbolum "Quicumque"* ed. Denzinger p. 17-19).

- Scriptura teste iustorum nemo scit, utrum
 3720 hic maneat dignus odio uel dignus amore:
 63r quapropter nemo uirtutes se scit habere.
 Sed neque uirtutis ibi mentio fit neque culpae,
 immo finalis odii, finalis amoris;
 nec tamen, ex meritis quod quem praedestinet Auctor,
 3725 prouenit, improprie suscepto hoc nomine 'dignus'.
 Nosti, quod uera culpas contritio tollat,
 uirtutum lumen accendens; sed satis esse
 scis te contritum, quare peccata remissa
 et simul accensum uirtutum scis tibi lumen.
 3730 Si detesteris culpas doleasque patratas
 et cum spe ueniae proponas firmiter omnes
 emendare, tua contritio uera resultat;
 quantumuis parua contritio uera reatum,
 etsi non poenam consumat, diluit omnem.
 3735 Non latuit Iob, quod simplex existeret, etsi
 se propter poenas hoc ignorare referret.
 Si se uirtutes ignoret habere sacerdos,
 cum mortale sciat peccatum sumere corpus
 Christi aut conficere uirtutum luce carenti,
 3740 numquid, ne peccet mortaliter, expedit ipsi,
 semper ut abstineat a sacro corpore Christi?
 Si missam celebret sic de uirtutibus anceps,
 numquid mortalis non est praesumptio culpae?
 Si, quod uirtutes habeas, tibi constet, et in te
 3745 certus es esse fidem; sed ea comprehendere te scis
 esse Deum trinum et unum, nec falsa subesse
 articulis fidei, sed tantum uera, fateris:
 non illud sciri tamen a te prouenit inde,
 articulis siquidem fidei non falsa subesse
 3750 non scis, sed credis; si scires, cum tibi constet,

3726 quod Gz: que R

3733 Quantumuis R2: Quantum uis Rac

3735 quod R(1) s.l.: que RI s.l. prima correctio: 'q uel q Rac

3739 conficere, K, Gz: confitere R

3745 comprehendere: A², Gz: comprehendere R

3719-20 Eccles. 9,1.

3719 sch. Quaestio.

3722 sch. Solutio.

3735-36

Iob. 9,21.

3750 sch. (scis) Solutio.

63v qui sint articuli, scires comprehensa, minusque
 non ferret fidei praeclara scientia lumen,
 sed merito pariter et credulitate careres.
 Quamuis a nobis oculis subiecta sciatur
 3755 esse creatura, licet eius ad esse sequatur
 esse Creatoris, non scitur celsior omni
 humano sensu, sed creditur, esse Creator;
 uel, quia praedicta ratione probatur aperte
 conditor esse Deus, scitur, non creditur, esse.

3751 comprehensa *A*², *Gz*: comprehensa *R*

3755 ad *R*, *Gz*(*prae*): ab *Gz*(*txt*)

3759 *sch.* Scientia quia et non scientia quare.

LIBER VII

- 3760 Sunt aliae species uirtutis quatuor: una subueniens miseris tribuit sua cuiilibet; una omnes insidias prudenter praecauet; una fortis in aduersis nequaquam frangitur; una excessum cohibens carnales temperat aestus.
- 3765 Haec est quadriga ducens ad gaudia caeli; hac ad delicias Paradisi uectus amaram Elias mortem non degustabit, adusque Antichristus eum fidei feruore reuersum, quatenus ipsius pandat figmenta, necabit.
- 3770 Non haec aurigam in patria quadriga relinquet, effectus habitura nouos. Contraria nulla caelestis patriae possunt affligere ciues; nullus ibi miser est, quare miseratio nulla, nullus egenus opis, quare subuentio nulla;
- 3775 insidiis nullus callet, temptatio nulla impugnat, quare nec sollicitudo molestat cautelae quemquam. Sed ei, cui cuncta tenentur subdi, iustitiae est subiectum reddere; cui nil praefert, nil aequat prudentia; cuius amoris
- 64r fortiter haerere persuadet tertia; uerum quarta facit, ne quem mala delectatio temptet.
- Unam quisquis habet istarum quatuor, omnes incunctanter habet, quia, si quam non habet, eius possidet oppositum, uitium mortale, quod omnem
- 3785 uirtutem prorsus excludit, ut unius experts

3761 sua R2 s.l.: om. Rac

3770 relinquet R2: relinquit Rac

3773 nulla R1: nula uel nilla Rac

3760 sch. marg. sin. Diuisio uirtutum. sch. marg. dext. Iustitia. 3762 sch. Prudentia. 3763 sch. Fortitudo. 3764 sch. Temperantia. 3766-67 IV Reg. 2,11; Sirach 48,13-16. 3770 sch. De usu uirtutum in aeternitate. 3782 sch. Quod habens unam uirtutem habet omnes. 3784 sch. s.l. (uitium) Scilicet.

omnibus exclusis iam nullam possit habere.
His, quasi cardinibus alias neccentibus ad se
et quasi principiis, omnes generaliter haerent,
ut nullis careat ornatus quatuor istis.

3790 Adde, quod omnis habens uirtutes non sine matre
prolem possideat; sed ubi dilectio mater
uirtutum regnat numerosa prole beata,
qualiter absentem posset tolerare uel unam?
quae totam legem et mandatum quodlibet implet,

3795 quae nil praesumit praeferre Deo, nec omittit,
si uirtutis opus quoduis occurrat agendum.
Adde, quod unius possessor diligit omnes,
et quod eas omnes habeat, dum quaerit habere.

Hinc, quamuis omnes simul haud habeantur in actu,
3800 constat eas habitu simul omnes semper haberi;
infunduntur enim simul; et, quae non habet usum,
hunc habet effectum, quod ad usum praeparet aptum
subiectum, quando pro tempore surget ad actum.

Sed numquid uirtus, quae non peruenit ad actum,
3805 subiectum propter habitum denominet? estne
fortis dicendus, qui numquam fortiter egit?
numquid ob hanc debet uirtutem luce perenni
dignus censi? uel numquid gaudia caeli
praeter opus quoduis ista uirtute meretur?

64v Omnes in genere simul, at non sunt simul omnes
in specie; quibus est socius tantum timor unus,
una trium socia, non renum cinctio trina.

3789 nullis R2: nullus Rac

3805 denominet R: denominat Gz, fort. recte

3812 non — trina in ras. (renum fort. in scribendo ex rerum correctum, cinctio in mg. ite-
ratum est) R2: ? Rac

3790 sch.s.l. (matre) Scilicet caritate. sch. Ad idem. 3793 sch.s.l. (unam)

Caritatem. 3794 Rom. 13,10. sch. Ex ea enim pendet omnis lex et prophe-
tae. (Matth. 22,40). 3797 sch. Nota: bonum est. (post spal.vac.:) Ad idem.

3799 sch. Qualiter simul habentur. 3804 sch. Quaestio. 3810 sch. marg.sin.

Nota: Est dilectio seruilis, est dilectio initialis, est dilectio filialis. sch. marg.dext.

Solutio (in ras., ante ras.: quaestio). 3811 sch.s.l. (quibus) Uirtutibus. 3812 sch.

Est castitas uirginalis, est coniugalis, est uidualis.

Aut eadem uirtus, quae est nunc castus timor, ante
initialis erat; sic castimonia, quae nunc
3815 est uxoris, erat eiusdem uirginis ante,
ac erit eiusdem uiduae post fata mariti.

Non obseruandis praeceptis redditur una,
consiliis alia uirtus: si propria uirtus
consiliis obseruandis seruiret, ob ipsam
3820 coniunctam semper aliis uirtutibus esset
illico perfectus, uirtutes si quis haberet;
nam, qui consilia seruat, perfectus habetur.

Quando simul dantur, ad habendum quamlibet eius,
cui dantur, uelle non exigitur, licet eius
3825 uelle requiratur, ut detur gratia prima;
nemo moueretur ad habendas insimul omnes.

Quod sint aequales in quolibet, inde probatur,
quod nec censerit uirtutum nomine possunt,
si non praestiterit ipsis dilectio formam;
3830 uerum, cuiusque quanta est dilectio, tantum
quamlibet informat uirtutem; sed ualor omnis
et bonitas omnis ex forma prouenit: hinc, cum
par sit forma, pares uirtutes efficit omnes.

Tantum praeterea est fortis prudentia, tantum
3835 fortis iustitia, quantum possessor earum
est fortis prudens et iustus; non prius ipso
frangitur aduersis uel prosperitate tumescit
quaelibet ipsarum: sic possunt ergo pares hae
et quaeuis aliae simili ratione probari.

3823-3826 *hos quattuor uersus in spatio trium uersuum erasorum scripsit R2: ? Rac*

3828 *possunt R2. Gz(txt): possint (?) Rac: possint Gz(praf)*

3813 *sch.marg.sin.* Alia solutio eiusdem. *sch.marg.dext.* Solutio (alia ante solutio
add. & erasit scholiasta). *sch.s.l.* (castus) Filialis. 3817 *sch.marg.sin.* An eadem uir-
tus sit seruare praecepta et consilia. *sch.marg. dext.* Quaestio. 3822 *sch.*
Nota: praeceptum et consilium. Imperfectus praeceptum tantum, perfectus prae-
cepta et consilia. 3823 *sch.* Quia non est possibile, ut eas omnes simul in actu
< habeat >. 3824 *sch.* Solutio tacitae obiectionis. 3826 *sch.* (moueretur) Id est:
posset moueri simul et semel. 3827 *sch.* An uirtutes sint aequales in quolibet
homine habente illas. 3832 *sch.* Concludit quod sint aequales. 3834 *sch.*
Ad idem. 3836 *sch.s.l.* (ipso) Forti. 3838 *sch.s.l.* (ipsarum) Uirtu-
tum. *sch.* Iterum concludit idem.

- 3840 Ergo, quando quis plus commendatur in una
 65r quam reliquis, ob opus manifestum fit uel ob usum:
 unde fides Abrahae reliquis uirtutibus eius
 extitit aequalis, sic et patientia Iob, sic
 et mansuetudo Moysi, constantia Caleph
 3845 et Iosuae, zelus Phinees, dilectio Petri,
 sobrietas Baptistae uirginitasque Iohannis,
 laus licet his maior maiori cesserit usu.
 'Sed quanto fuerit miseratio maior in isto,
 maiorem partem poenae de iure remittet;
 3850 quanto iustitia maior, de iure minorem;
 sed quo iustitia maior, miseratio maior:
 ergo, quo maior, minor esse remissio debet.'
 Sed non exigitur, ut eo quis debeat esse
 asperior uindex culpae, quo iustior extet;
 3855 et sic ex falsis sequitur conclusio falsa.
 Num nequit Omnipotens cuius infligere quantum
 promeruit poenam, quoniam nequit impius esse?
 Exaequans poenam culpae nullamque relaxans
 de poena partem pietate carere uidetur:
 3860 ergo necesse Deus habet unicuique minorem
 poenam, quam meruit, infligere. Nec minus illud
 ex pietate facit, ad quod pietate mouetur,
 sed sumpta parte, qua maior nulla flagellum
 esse rei debet, iustum perpenditur ipsa
 3865 percelli tantum, non asperiore domandum:
 quare non meruit maiorem, quam Deus ipsi
 infligat poenam nulla pietate relaxans.
 Sic inconueniens incurritur ante repulsum;

3845 petri *R1 in ras.: ? Rac*

3852 remissio *R2: remissio (?) R1: remiss.. Rac*

3840 *sch.* Solutio obiectionis tacitae. 3842-43 Rom. 4,9; Hebr. 11,8. 3843
 Iac. 5,11. 3844 Num. 12,3; Sirach 46,9-11. 3844-45 Num. 14,6-9.
 3845 Num. 25,7-11; Ioh. 21,15-17. *sch.s.l.* (zelus) Amor. 3846 Luc. 1,15;
 7,33. 3848 *sch.* Haec est uera. (*post spat. vac.:*) Quaestio. 3850 *sch.* Haec est
 falsa. 3851 *sch.s.l.* (miseratio maior) Haec est uera. 3852 *sch.* Conclusio
 falsa ex falsa. 3853 *sch.* Solutio. 3856 *sch.* Quod deus de poena relaxet.
 3863 *sch.* Obiectio. 3868 *sch.* Prius deprobatum (*ad ante repulsum referendum*).

- inde Creatoris non est artanda potestas,
 3870 quin queat ad culpae mensuram reddere poenam,
 65v qui tamen infligit sola pietate minorem.
 Quamuis aequaret poenam culpae, super omne
 ipsius esset opus miseratio; non tamen esset
 tunc intellectus in uerbis, quem modo gignunt.
 3875 Culpa mali minor et peioris maior habetur;
 plus tamen a poena resecans peioris, ut ipsum
 iustius affligit Dominus, sic mitius illo.
 Si non maiori tollatur portio maior,
 pars poenae decuplo peioris dena trahatur:
 3880 culpa mali decuplo minor impunita manebit.
 Motu uirtutis et non uirtute meremur,
 quamuis ex ipsa fiat meritorius ipse:
 non erit aut opus aut motus meritum, nisi surgat
 ex uirtute, uelut procedit ab arbore fructus;
 3885 arbitrii quoque libertas accommoda debet,
 ut quoduis meritum produci possit, adesse,
 at nihil arbitrii libertas proficit, ut uel
 una dari possit uirtus, sed gratia sola.
 Nec uirtus meritum hinc est, nec uirtute meremur;
 3890 eius causa tamen existens dicitur ipsum
 interdum uitaque perenni reddere dignum:
 'uirtus et uitium sibi sunt contraria: nonne
 praemia uirtute, ut uitio tormenta, meremur?
 ut uirtus uitio, sic obstant praemia poenis:

3885 accommoda debet R2 in ras.: ? Rac

3887 at R2: .t Rac || proficit R2: profuit (?) Rac

3889 nec²: unam litteram add. Rac, quae deinde expuncta, ad ultimum crasa est

3890 tamen existens K, Gz: tamen texistens R1: cum (?) textistens Rac

- 3869 sch. Solutio. 3871 sch. Additio solutionis. 3872-73 Psalm. 144.9.
 3874 sch.s.l. Signis appositis uoce uerbis ad opus (3873) referri indicatur. 3875
 sch.marg.sin. Minoris mali minor est culpa et maioris mali maior. sch.marg.dext.
 Quod maiori delicto sit minor (maior cj. Gz) remissio (ad 3876 referendum).
 3881 sch. Quod non meremur (Gz.: meretur R) uirtute, sed opere uirtutis.
 3882 sch.s.l. (ipse) Motus. 3883 sch. Probat. 3889 sch.s.l. (hinc) Ex iam
 dictis. 3892 sch. Obiectio in contrarium. 3893 sch. Utitur loco ex (et R)
 contrariis.

3895 numquid, ut has uitio, sic haec uirtute meremur?'

Est, accepta Deo, sanctorum passio iusta,
sed non est, meritis ipsorum debita; quippe
praemia debentur. (Melioris iustior hinc est
poena boni poena; non iustior est tamen inde

3900 poena mali poena peioris, quippe nec est plus
66r debita peccatis nec plus accepta Tonanti.)

Passio sanctorum quamuis meritoria non sit,
seu tamen affligens seu mulcebris extet, in ipsa
diuersis uariisque modis hinc inde merentur:

3905 hinc patienter onus poenarum quodque ferendo,
inde reluctando his, quae carni blanda uidentur.

Nec fuit auctoris meritoria passio Christi;
qui quouis opere meruit, sed fecit eandem
non in eo quod homo, sed quo Deus extitit auctor.

3910 Hinc impassibilis ac immortalis in ipsa
promeruit fieri, non ipsa; nec quid in ipsa
promeruit, quod non semper meruisset ab ortu.

Et quamuis opere feruentius et magis uno
saepe mereretur alioque minus, tamen uno

3915 non meruit maius alioque minus, sed, ut esset
ipsius meritis retributio debita compar
semper, promeruit et par dilectio semper.

Quod remoueretur tamen ignea romphea, forte

3915 maius *R2* in *ras.*: maius (?) *supra* minus (?) *expunctum R1*: minus (?) *Rac*

3895 *sch.* Quod passio iustorum sit iusta, quia deo accepta (*ad 3896 referendum*).

3896 *sch. R2* In prima epistula beati Petri: Melius est bene facientes (p[las]cientes *R*), si uelit uoluntas dei, pati quam male facientes (*I Petr. 3,17*).

3897 *sch.* (est) Exponit quod dicit 'iusta', quia aequiuocum est. 3898 *sch.s.l.* (praemia debentur) Ideo est iusta, quia etc.

3899 *sch.* (iustior) In alia significatione. 3900 *sch.* Solutio obiectionis quae fieri posset. *sch.s.l.* (poena peioris) Immo e converso. 3902 *sch.* Quod nulla passio meritoria. 3903 *sch.*

Passio < quaedam affligens sine delectatione. 3905 *sch.s.l.* (hinc) In
< quaedam mulcebris cum delectatione. 3906 *sch.s.l.* (reluctando) In mulcebris. 3907 *sch.* Dictum est

quod passio sanctorum < non > fuit meritoria, nec etc. (*post spat.vac.*) Quod passio <<Christi non>> sit meritoria. 3911 *sch.s.l.* (non ipsa) Pro ipsa. 3913 *sch.*

Aliud est promereri magis et aliud promereri maius (maius *R3pc*: magis *R3ac*).

3918 Gen. 3,24; Apoc. 2,12.

- promeruit tantum nobis in tempore mortis.
- 3920 Quando dimitti nobis peccata meremur,
 motus uirtutis meritum producit, et inde
 uirtutis prior est infusio: sic, quia multum
 dilexit, multa dimissa fuere Mariae;
 sic ad iustitiam, per quam dimissio culpae
 3925 accipitur, reputabatur, quod credidit, Abram.
 Non tamen ingressus uirtutis tempore culpae
 praeuenit egressum, sed naturaliter ipsum
 praecedit, quamuis in eodem tempore fiant.
 Uirtutem motus, motum contritio mentis,
 3930 contritam mentem sequitur dimissio culpae
 ordine naturae, non tempore, sed simul insunt.
 Sordes a uase, si non a sorde lauetur
 uas prius, infusus liquor extrahit; at secus hic est:
 66v uirtus infusa subiectum prorsus ab omni
 3935 emundat uitio, uitii nihilominus expers.
 Sicut lux tenebras, sicut medicina uenenum,
 sic uirtus uitium, sic pellit gratia culpam;
 uirtus ingreditur, et culpa remittitur omnis,
 incipiens subito non esse, locumque relinquit
 3940 maiori, cuius declinat nubila lucem.
- Sic quoque subtrahitur iniusto gratia, quando
 incipit a Domino non apponi, data gratis,
 donec per culpas ingratus perderet ipsam.
 Et quamuis ipsa subtracta, qui stetit ante,
 3945 in culpas rueret, non est tamen ipsa ruina
 ascribenda Deo, sed ei, qui reddidit eius

3929-3933 *hos quinque uersus scripsit R2, tres primos in spatio duorum erasorum, duos postremos infra solitum paginae finem: ? Rac*

3933 *at K, Gz: at uel ac R2*

3943 *culpam Rac, Gz: culpam R2*

3919/20 *sch.* Quod uirtus sit prior uitio. 3920 *sch.* Quaestio, an dimittit peccata
 existenti in peccato uel non existenti. 3921 *sch.s.l.* (inde) Ideo. 3922-23
 Luc. 7,47. 3924-25 Gen. 15,6; Rom. 4,3; Gal. 3,6. Iac. 2,23. 3924 *sch.* (ius-
 titiam) Id est ad remissionem peccatorum. 3926 *sch.* Nota quod uirtus non sit
 prior uitio tempore sed natura. 3929 *sch.* Ponit ordinem naturalem. 3936
sch. Similitudo. 3937 *sch.* Nota. 3940 *sch.* (declinat) Transitue. 3941 *sch.*
 Quomodo intelligitur quod gratia iusto subtrahitur. 3944 *sch.* Quod non im-
 putandum sit deo, si quis ruat, cum dominus non apponit gratiam.

- gratuito dono se indignum, quo stetit ante,
sicut culpandus non est, qui praestita gratis
alterius domui subtrahit tigna ruenti,
3950 sed commendandus potius, quia praestitit ante. -
'Quomodo subtrahitur, quae offertur gratia semper?'
Sed Deus affirmatiue non subtrahit ipsam,
immo negatiue, quia non apponit; et inde
non uult subtrahere seu non apponere. Non est
3955 eius causa Deus, quod non est, quodque negatur:
inde Deus reprobatur, quia non praedestinat, inde
indurat; quare non uult reprobare, nec ipsi
indurare placet. Quod uult, Deus efficit auctor,
sed non est ab eo reprobatio; qualiter esset
3960 eius, quod non est, auctor uel causa Creator?
Quaelibet, in cuius motu quis tempore lucis
permanet accensae, uirtus est gratia prima,
quam Dominus semper dat gratis, nemo meretur;
67r quomodo uirtutis esset meritorius eius
3965 motus, uel matrem proles producere posset?
Nec, quia dimitti sibi quis peccata meretur,
ne malus existat, ideo bonus esse meretur;
quare contingat, ex praecedentibus apta
quaeratur ratio: lectoris linquo Mineruae.
3970 Iustus qui culpae mortalis praescius orat,
ut, cum corruerit, a culpae labe resurgat:
quamuis accepta, quamuis oratio iusta,

3954 seu non R2 in ras.: ? Rac

3970 Iustus R(1): Iusti Rac

3948 sch. Simile. 3949 sch. Concordat legi. 3951 sch. mg. sin. & dext.
Quaestio. 3952 sch. Solutio. 3953 sch. Indirecte. 3956 sch. (inde¹)
Id est ideo dicitur reprobare. 3961 sch. Quod quaelibet uirtus in cuius motu
quis permanet est gratia prima gratis data, quia meritum non praecessit, ex quo
sequitur motus ipsam uirtutem. 3962 sch. marg. sin. Ostendit quae sit gratia
prima. sch. marg. dext. Quasi dicens: uirtus cuius motu uult procedere ad opus
bonum est gratia prima. 3966 sch. Hoc argumentum: 'iste meretur sibi dimitti
peccata, ergo meretur «esse» bonus' non ualet. 3968 sch. Nota. 3970
sch. Hoc argumentum non ualet 'iste ex caritate oratione iusta et pia et deo accepta
petit, quod lapsus resurgat, ergo meretur quod ipsa resurgat'. 3971 sch. Per
primam gratiam (ad resurgat referendum).

quamuis ex fonte manans praedulcis amoris,
attamen eius, quod petitur, meritoria non est;
3975 sic, quamuis oret perfecto iustus amore,
quod Dominus quemquam praedestinet, ut precis illud
intuitu fiat, nulla ratione meretur.

Quamuis ob merita non detur gratia prima,
non tamen incassum mandatur semen harenae,
3980 non later abluitur frustra, non litus aratur,
cum fiunt opera quaeuis bona tempore culpae.

Ad tria proficiunt: non aucto poena reatu
poenis accrescit; dantur bona temporis huius;
et fit peccator habilis magis, ut Deus eius
3985 illustrare uelit uirtutum lumine mentem.

Quando uirtutum quis munus suscipit, illo
censetur dignus non ob praeuentia munus
ipsius merita; sed muneris efficit auctor,
cui gratis munus largitur, munere dignum.
3990 Non, uelut ex meritis, fit debita uita perennis,
successura, nisi praeuentrix culpa resistat,
nobis; augmentum uirtutum, quando meremur
illud, debetur, cum non iniuria nobis

67v fiat, si merito culpaque carentibus usque
3995 ad finem uitae nobis post fata negetur.
Sed sic uirtutum sibi iustus adaugma meretur,
sicut uirtutes aliis, quia iustus habebit
augmentum faciens bona, si perduret in illis;
sic fit, ut obtineant uirtutes, pro quibus orat,
4000 quem Deus exaudit, oratio cuius ad aures
diuinas quasi thus ab amoris transuolat igne.

3981 opera R2: iqra (?) Rac

3982 aucto K, Gz: aucto R(1): augto R1 prima correctione: augto Rac

3997-3998 quia — illis R2 in ras.: ? Rac

3978 sch. Quasi dicens: nemo meretur primam gratiam, tamen non sunt opera
bona in tempore culpae inutilia. 3982 sch. Nota: quae tria ad quae ualent

opera bona facta in tempore culpae. sch. I. 3983 sch. II. 3984 sch.

III. 3987 sch. Sed non a se. 3990 Rom. 6,23. sch. Quod uita perennis

non debetur meritis nostris, ut ex merit «is» . 3996 sch. Quo modo iustus
meretur augmentum uirtutum.

Hinc aliena fides, scriptura teste, reatu
et carne infirmum sanauit et intus et extra.

- Discrete sanctus Paulus stimulum sibi carnis
4005 auferrī petiit, indeficientis amoris
flamma succensus et sacro Pneumate plenus,
quamuis profectum stimulo didicisset inesse,
ne stimulo pressa mens propter dona tumeret;
sed se sperauit diuini semine uerbi
4010 plus profecturum, si carnis liber ab hoste
liberius populum doctrinae pane cibaret.
Quem sic accendit uehemens intentio fructus
uberioris, ut et sine condicione rogaret
et sine peccato Dominum pro corporis aegri
4015 arcendo stimulo, licet ignorare, quid esset
utilius, pateat ipsum ratione repulsae:
si super incerto sub condicione rogasset
a sancto Iacobo praescripta, non sacra sacrum
non exauditum Paulum contraque salutem
4020 porrexisse precem totiens scriptura referret.
Actio, qua petiit, quamuis discreta fuisset,
quod petiit, nocuum fuit aduersumque saluti.
Num petet ecclesiam. simili ratione licenter,
68r qui reditus eius omnes intendit in usus
4025 dispensare bonos tantum Dominoque sedentes?
numquid, si petere liceat quid tale, petenti,
quatenus obtineat, et pauperibus dare nummos
et ieiunare et missam celebrare licebit?
Aut Dominum Paulus sub condicione rogauit,
4030 non exauditus tamen in prece dicitur inde,
quod magis intendit, ut ab ipso cederet hostis
carnis, spiritui contrarius atque rebellis;

4013 et sine R2 (et *primum siglo 3, deinde —hoc expuncto— siglo 2 scripsit*): sine (?) Rac;
siglo 3 'ter' significari scriba codicis A¹ et Gz arbitrati sunt, uix recte

4002-03 Iac. 5,14-15. 4002 *sch.* Quod aliena fide quis curetur corpore et spiritu. 4004-06 II Cor. 12,7-9. 4404 *sch.* Quare sanctus Paulus existens in caritate non adeptus est petitionem suam a deo contra stimulum carnis. 4013 *sch.* Solutio. 4017-18 Iac. 1,5-6. 4018-4020 II Cor. 12,8. 4021 *sch.* Petitio fuit iusta, petitum fuit iniustum. 4029 *sch.* Alia solutio ad idem.

quod, quamuis uolupe, non utile iure negatum est.

Antiqui patres uitam meruere perennem:

4035 quare cum merito transgressis limina uitae
debita non posset semper de iure negari;
quam tamen haud possent adipisci, donec ab ore
Daemonis erueret ipsos clementia Christi.

Sic, quod eos Deus erueret, meruere; sed ex quo
4040 ex pare uexauit omnes detentio causa,
maiorisque tamen meriti diuturnior unum
et multo breuior alium meritique minoris,
numquid non semper simili ratione negare
ipsis posset opem faciens Deus omnia iuste?

4045 Auxilii forte dilatio iusta supremi
iudicii minime posset transcendere metam.

Quamuis non perpes fieri detentio posset
iustorum, per nulla tamen suffragia posset
uiuorum redimi, sicut nec mortis acerbae
4050 poena potest redimi perdurans tempore paruo.
Quamuis ex merito sit debita uita perennis
aut ex promisso, nullum tamen ipsius hic est

4035 limina uite R2 in ras.: ? Rac

4044 ipsis R2: ipsius Rac

4034 sch. Antiqui patres decesserunt iusti, ergo digni uita aeterna. Contra A. (= Ambrosius in Gl. Ord. super Hebr. 9,14 (PL 114: 659A)): Tantum fuit peccatum nostrum ut saluari non potuissemus nisi uni «ge» nitus dei filius pro nobis more «re» tur debitoribus mortis, et sic no «s fecit» dignos testamenti et promissae hereditatis. Non ergo ante fuerunt «digni». Sed est ibi dignitas obtinentiae, ut ibi: animae defunctorum mereantur «ui» tam aeternam, id est obtineant. Expone: saluari, id est redimi, po «tuit» enim liberare per potentiam, sed redimere non potuit per aliud «pre» tium, quia nullum aliud sufficeret, uel non possemus saluari alio «modo» adeo competenter. Expone: debitoribus mortis, id est detention «is in» morte, ut ibi: “infirmitas haec non est ad mortem” (Ioh. 11,4), id est ad de «tentio» nem in morte, illa autem detentio non potuit esse aeterna, sed «tantum» temporalis in antiquis patribus, quia iusti decesserunt. 4037-38 Psalm. 32,18-19; 85,13. 4047

sch. Super illum locum Zachariae: “Tu quoque in sanguine testamenti emisisti uinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua” (Zach. 9,11), dicit Hieronymus: In resu «rrectione» Christi iusti qui pro peccato Adae in inferno uincti tenebantur resurrexerunt, quia tantum pro originali peccato ibi tenebantur (Hieron. In Zach. II, 9,11 apud P. Lomb. In Rom. 3,26 (PL 191: 1363A)). 4052-55 Rom. 8,18.

- condignum meritum, quia nullas temporis huius
68v condignas patimur poenas ad gaudia, quae post
4055 hanc uitam Deus effundit praelargus amicis.
 Numquid erat simili ratione redemptio sicut
 debita libertas, cum non procedere posset
 absque redemptoris pretioso sanguine Christi?
 cuius, ut erueret, suffecit sola uoluntas,
4060 qualicumque modo uellet, saluare ualentis;
 ad genus humanum redimendum non nisi sanguis
 eius sufficiens pretium fuit et satis aptum.
 Omnibus utilior modus est electus ab ipso
 saluandi seruos, magis omnibus et bona suadens
4065 et mala dissuadens; quo custodire salutem
 nobis quaesitam tanto maiore monemur
 cura, quanto pro seruis abiectior Auctor
 factus dignatus fuit indignissima ferre.
 'Gratis', id est: sponte, 'uenundatus est homo' culpa,
4070 'ac absque argento redimetur', teste propheta,
 hoc est: absque suo merito; quod Conditor orbis
 dignaretur homo fieri seu mortis atrocis
 in cruce probrosa poenas perferre, mereri
 totius mundi deuotio nulla ualeret.
4075 At, licet humanum meritum transcenderit omne
 tanta Creatoris dignatio, sic licet eius
 efficiens fuerit tantummodo causa uoluntas
 assensus bonitas Patris Artis Pneumatis almi,
 attamen adiutrix et quaedam causa benignum
4080 alliciens fuerat meritum praegrande bonorum.

4055 effundit *R*: effundet *Gz*, fort. recte

4075 At *Gz*: C1 (?) *R* (*C* littera a rubricatore scripta est; scribis codicum *K* & *A*¹ et *Gertzio* haec littera *E* esse uisa est)

4058 I Petr. 1,18-19. **4069** *sch.* «I» saias: Gratis uenundati estis et absque argento redimemini (*Is.* 52,3). **4073** *sch.* Super illum uersum: "fiat misericordia tua super nos" (*Psaln.* 32,22) dicit glossa: "Quo merito? quia sperauimus in te". Ecce spes antiquorum patrum dicitur meritum incarnationis, et re uera dicitur meritum, non quod fuerit causa sufficiens, sed potius causa adiuuans et causa amminiculans.

Hinc Abraham, quia credidit, audiuit, quod in eius
 omnes deberent saluari semine gentes;
 inde prophetantur, quia credidit alma Maria,
 69- perficienda fore, quae dixerat angelus ipsi,
 4085 et regem uirgo meruit portare Maria,
 ad quem portandum fuit omnibus aptior et plus
 congrua, cuius erat uirtutum gratia maior.
 Quid miri, meritum iustorum tale fuisse,
 quando redemptorem primorum culpa parentum
 4090 promeruit Christum? sed promeruit, quia tanta
 exegit tantum sic condescendere nobis
 saluandis, et sic fuit ipsa occasio quaedam.
 Se ueniam sanctus Paulus meruisse fatetur
 inde, quod ignorans deliquerit; unde minus se
 4095 indignum uenia minus elongauit ab ipsa.
 Quod meruit uiuens, expectet mortuus illud

4087 uirtutum gracia maior R2 in ras.: ? Rac

4093 Se R2: S. (uix Sic) Rac: Sic Gz

4094 quod: fatetur add. & exp. R1

4081-82 Gen. 12,3; 18,18; 22,18; Gal. 3,6-18; Hebr. 11,8-10. 4081 sch. Abraham et patres ueteris testamenti non potuerunt saluari nisi per fidem <et> passionem, sicut habemus super illum locum Apostoli: "Iustificati gratis per gratiam ipsius" etc. (Rom. 3,24), "haec duo simul iunguntur, quia neutrum sine altero ualet" (P. Lomb. In Rom. 3,24 (PL 191: 1362B)). Et in eadem glossa paulo inferius: "Ad hoc patiebatur delicta, ut ostenderet in hoc tempore Christi iustitiam quae iustos facit, scilicet quod ipse iustificat et saluat, quod nullo alio tempore fieri potuit" (ibid. (PL 191: 1362D)). Sed Christus potuit numquam pati. Ergo Abraham ante passionem Christi qui in caritate perfecta decessit potuit numquam gratiam adipisci. Item: tantum ualuit ille sanguis, ut homines ab aeterna morte debita liberauerit mors Christi indebita, ut glossa (ibid. (PL 191: 1383B-1387A)) super illum locum: "Commendat autem deus suam caritatem in nobis" (Rom. 5,8). § Auctoritas: Nemo posset laqueis mortalitatis absolui, nisi ille in quo innocens erat natura hominum sineret se interfici manibus impiorum. 4083-85 Luc. 1,26-38.

4091 sch. Auctoritas: O felix culpa quae talem meruit habere redemptorem. Et alibi: Peccata nostra traxerunt eum de caelo, id est misericordia eius sunt peccata nostra delenda. 4093 I Tim. 1,13-14. 4096 sch. Causa XIII^a, q. II^a (c. 23) "Tempus" (Corp. iur. canon. ed. Friedberg, vol. I, col. 728), uerba (?): "Nec negandum est defunctorum animas pie<ta>te suorum uiuentium releuari, cum <pro> illis sacrificium mediatori <s> off<ertur> uel eleemosynae fiunt in ecclesia. Sed eis haec prosunt, qui cum uiuerent haec <si>bi ut postea possent

tantum post uitam; sed cum suffragia sanctae
 prosint ecclesiae defunctis, numquid et ipsa
 promeruit uiuens? - Sed promeruit, quia talem
 4100 se gessit uiuens, ut ei suffragia facta
 uiuorum, uitae praesentis luce relicta,
 prodessent citius fruituro perpete uita.

Numquid damnandis etiam suffragia prosunt
 ecclesiae? Prodest missae celebratio, teste
 4105 Augustino, uel ut plena remissio fiat
 uel tolerabilior damnatio carne solutis;
 sed solet interdum 'damnatio' poena uocari,
 sicut ibi: 'non de natura prouenit, immo
 poena damnati, pro ueris falsa tueri.'
 4110 Constat, in inferno quod nulla redemptio fiat;
 quare nullā potest fieri subtractio poenae.
 Quantumuis modica si per suffragia posset
 ecclesiae demi pars poenae, posset aperte
 69v consumi tota per tot suffragia tanta,
 4115 quot partes poena tantas totalis haberet.
 Omnis praeterea, quantumuis parua, perennis
 pars poenae poenas finiti temporis omnes
 excedit; quare, si quam celebratio missae
 aeternae poenae posset consumere partem,
 4120 claudendas fine subito consumeret omnes:
 sic compleretur omnis purgatio missae
 unius spatio, nec purgatorius ignis
 ultra saluandis caelestia regna negaret.

prodesse meruerunt." Et circa finem c.: "Cum sacrificia (sacrificio *R*, *ut uid.*) altaris
 aut quarumcumque elemosynarum pro baptizatis omnibus of «fe» runtur, pro
 ualde bonis gratiarum actiones sunt, pro non ualde bonis propitiationes «sunt»,
 pro ualde malis etiam si nulla sint adiumenta mortuorum, tamen uiuorum conso-
 lationes sunt. Quibus prosunt, aut ad hoc prosunt ut plena sit remissio, aut certe
 ut tolerabilior sit ipsa damnatio." Uerba sunt beati Augustini (*Aug. Ench. 110*).
 Christus loquebatur discipulis suis dicens: "Si autem uos, cum sitis mali, nostis
 bona dare" etc. (*Matth. 7,11*). Qui boni erant, et ita idem mediocriter boni et
 mediocriter mali. 4098 *sch.s.l.* (ipsa) Accusatiui casus. 4106 *sch.* Contra,
 obiectio. 4107 *sch.* Augustinus: "Approbare falsum pro uero non est natura
 instituti hominis, sed poena damnati", id est puniti. (*Aug. De Lib. Arb. III, 18,178*
in Retract. I, 9,5 (PL 32: 598) apud P. Lomb. III, 15,1,5).

- Sicut profecit multis (non omnibus, immo
 4125 tantum saluandis) saluatric passio Christi,
 sic etiam solis saluandis profecit ipsam
 missa repraesentans et non sine fine cremandis.
 Quos Deus ad ueram uitam praedestinat, ipsis,
 non aliis, prodest oratio; qui sinus ille
 4130 tantum dicuntur, in quem conuertitur ipsa.
 Quamuis antiquos sanctos de carcere carnis
 egressos nullus exter cruciatus Auerni
 torqueret, patriae tamen expectatio longa
 multum uexauit, certa nihilominus in spe
 4135 felices, ut re fierent quandoque beati.
 Quod fuerint opera ueteris meritoria legis
 patribus antiquis, crebro scriptura fatetur,
 multiplicique potest liquido ratione probari.
 Lex obseruata non tantum commoda terrae
 4140 sed tribuit pariter intermina gaudia caeli.
 Dum legem Moyses impleuit amore iubentis,
 quare non meruit? Abrahae laudata uoluntas
 est, qua consensit Domino parere iubenti

4132 *exter R: extra K, Th, Gz*

4136 *Quod R2: Qñ (= Quando) (?) Rac || fuerint R2: fiunt Rac*

4124 *sch.* Super illum locum Matthaei (*Matth. 20,28*): “Non ueni ministrari, sed ministrare et dare animam meam redemptionem pro multis”. Dicit glossa: non pro omnibus, sed tantum pro «*prae*» destinatis. 4128 *sch.* Oratio mea in sinum meum conuertetur (*Psal. 34,13*). Dicit glossa: id est in praedestinos, qui sunt sinus domini. 4131 *sch.* Auctoritas: In dei sustentatione dicuntur iusti fuisse in limbo inferni ante passionem Christi, ubi nec poenis opprimebantur nec tamen deum uidebant, quod erat eis poena, sicut habetur in fine glossae super illum locum Apostoli (*Rom. 5,8*): “Commendat autem deus suam caritatem in nobis”. Item: “Solutis iam gemitibus et inferni doloribus” (*Act. 2,24*). Beda: supernae pacis ingressum spe felici expectabant (*Beda In Evang I, hom. 10 (PL 94: 54B) apud P. Lomb. IV, 1,7*). 4136-37 Hebr. 11; Iac. 2,21-26. 4139 *sch.* Glossa super Matthaeum: Iustitia legis suo tempore obseruata non solum bona terrae, sed et uitam aeternam dabat. Glossa non potest intelligi de decalogo, quia et modo et semper obseruandus et obseruatus fuit decalogus. Constat ergo intelligendum esse de figurilibus et caerimonialibus. 4142-59 Gen. 22. 4143 *sch.* Auctoritas: “Indubitanti animo filium mactare uolebat, laudandus in constantia offerendi et in fide suscitandi.” (*Gl. Ord. in Gen. 22,5; PL 113: 138C-D*). Sed uidetur quod non fuerit bona eius uoluntas, ex quo non fuit ad ulteriora, id est ad opus, domino

- 70r et complexset opus maiori laude patrandum,
 4145 ni manus incumbens operi reuocata fuisset,
 sicque prior iussus cessisset iure secundo.
 Si patrasset opus, quoniam parere iubenti
 elegisset, opus laudabile iure patrasset,
 sicque fuisset opus, quo promeruisset, amoris.
- 4150 Quamuis, quod genitor genitum mactaret, iniquum
 semper et illicitum, semper Deus oderit auctor,
 Abram uir sanctus ex maiestate iubentis
 parendum statuit, ad quam credebat habendum
 respectum potius quam carae prolis amorem:
- 4155 non permisit eum fortassis cuncta Potentis
 iussum discutere parendi prompta uoluntas;
 uel, quoniam meminit, quod in eius semine gentes
 essent saluandae, cui uitam credidit esse
 reddendam a Domino, consensit tradere morti.
- 4160 Christus item, cuius omnis fuit actio formam
 recte uiuendi membrorum lectio tradens,
 promeruit, quando legem seruauit, et inde
 praebuit exemplum de se caput utile nobis
 seruandi legem conseruandoque merendi.
- 4165 Quidam, non opera legis meritoria tantum
 censentes, in eis summam statuere merendi,
 tamquam iustitiam daret obseruatio legis
 praeter gratuitam lucem, quae gratia prima
 dicitur et uitii tenebras a pectore pellit.

4144 et complexset R2: complexset Rac

4147-4149 quoniam — amoris R2 in ras.: ? Rac

4153 credebat R2: cred.... Rac

4164 seruandi Gz: seruando R

prohibente promotus. Dicit enim auctoritas: a bono nemo est prohibendus, sed ad ulteriora promouendus. Sed quamuis prohibitus (*ex prohibetur correctum*) fuerit ab opere, tamen ex bona uoluntate ad ulteriora promotus est, quia ea meruit. sch.

Dicit auctoritas: Numquid sibi contrarius est deus, ut quod iussit e contrario fregerit imperio. Non est tamen sibi contrarius, quia eandem habuit uoluntatem et quando iussit et quando iussum reuocauit. 4147 sch. R2 Cuiuslibet opus uirtutis est opus caritatis, et sic cum opus fuisset oboedientiae, fuisset et caritatis, et ita meritorium.

4160-61 Rom. 12,5; I Cor. 12,27; Eph. 4,15-16; 4,25.

- 4170 Non legem reprobans intendit apostolus huius
erroris tenebras doctrinae luce fugare,
multis ostendens, quod iustificatio prima
ex uirtute data gratis, non lege, ueniret.
- 70v** Plus baptismus agit quam circumcisio: non ex
4175 ipsa uirtutum sed in ipsa dona dabantur;
ast ex baptismo uirtutes dantur, et inde
non solum dantur sed et augmentantur adulto.
Quidam dixerunt, quod circumcisio culpas
deleret, non uirtutes conferret, ut ille;
- 4180 uerum uirtutum prior est infusio semper,
posteriorque recedentis dimissio culpa:
quare uirtutes tribuit, peccata remittens.
- Sufficit exilis quantumuis gratia uitae
aeternae, cuius comes est Deus et comes omnis
4185 uirtus et comes est ut mors dilectio fortis;
ergo numquid ei quaeuis temptatio cedit,
sicut nulla potest natura resistere morti?
Omni naturae dono supereminet omnis
gratia iustificans, quamuis tenuissima; uerum
4190 strenuitas animi nec cedit pulsa timore
atrocis mortis; magis ergo uidetur ut omnis
uirtus sufficiat possitque resistere, quamuis
impugnans ipsam temptatio maxima surgat.
Nulla metu mortis temptatio maior, et ipse
4195 dono naturae contemnitur; hinc magis omnis
omni uirtute, quae semper praeualet omni
naturae dono, poterit temptatio uinci.
Supra posse tuum cum nil Deus exigit a te,
si non ex habita uirtute resistere possis
- 4200 Hosti temptanti, cedendo quomodo peccas?
si nequeas stare, peccatum cedere non est;
quod uitare nequis, non est committere culpa;
non in eo peccas, quod te patrare necesse est.
- 71r** Econtra: quamuis omni uirtute careret

4177 et R1 s.l.: om. Rac || auñtātur R2: aucñtātur (?) Rac

4170-73 Rom. 3,20-28; 4,2-6; 9,12; 9,32; 11,6; Gal. 2,16; 3,5; 3,10; Eph. 2,9; II Tim. 1,9; Tit. 3,5. 4174-82 Rom. 2,25; 3. 4183-85 Rom. 6,1-13; II Cor. 5,14; Col. 2,12; 2,20. 4185 Cant. 8,6.

- 4205 primus homo, stare per se potuit, quod in ipso
 non fuit impellens peccandi causa; sed ipso
 quamuis sit melior quauis uirtute nitescens,
 semper habens causam compulsiuam, nisi semper
 apponat dextram Dominus sensimque recentem
 4210 praestet opem, temptante cadet prostratus ab Hoste.
 Sicut habens uisum non exercere uidendi,
 ni suffragetur lux extera, sufficit actum,
 sic, quamuis habeas uirtutes, non tamen Hosti
 temptanti poteris quandoque resistere, si non
 4215 affuerit diuina tibi noua gratia semper.
 Quamuis uirtutes habeas, nihilominus in te
 permanet arbitrii libertas; et, uelut illis
 stare potes, sic hac succumbere, pronus ut Hosti
 temptanti cedas, nisi te tuus adiuuet Auctor.
 4220 Si tibi sufficiat uirtus infusa, per ipsam
 omnia uitanti peccamina, permanet in te,
 quo bonus es per te semperque bonus potes esse,
 estque tibi bonitas, cuius primaria causa
 est a te, licet a Domino sit causa remota;
 4225 sed nulli fas est tantum defendere falsum,
 quippe Deus semper est proxima causa salutis.
 Quamuis praecipue diuinum semper adesse
 debeat auxilium, per quaedam fis magis aptus
 et plus muniris, ut temptamenta repellas:
 4230 si radicetur in te dilectio, si te
 accendat feruor suus ad caelestia, si te
 consuetudo boni delectet, si prius Hostis
 caueris insidias, si strenuitate rigescas
 71v naturae, maius Inimici fraudibus in te est

4209 apponat R2: apponat uel & pponat Rac || sensimque Gz: semperque R2: sensimque (?) Rac

4210 p̄stet R2 (c in ras.) & R(1) (c supra a expunctam): p̄stat Rac

4211 uisum R1: ui..m Rac

4213 quamuis R2: quauis Rac

4217 illis R(1): illos Rac

4222 es per te R2: ex parte Rac

4228 fis R2: sis Rac

4206 sch. Nota.

- 4235 posse resistendi, si te tuus adiuuet Auctor.
Si tamen excedat tales temptatio uires
et cedas, liber a culpa non eris, ex quo
consensum poteris ex libertate negare
arbitrii culpas suadenti crebrius Hosti.
- 4240 Si nequeas stare collatis uiribus ante,
a Domino semper oblatas accipe uires,
quae tibi sufficiant, ne fias causa ruinae.
Sic te temptari Dominus non sustinet ultra
posse tuum, quia dat prouentum, quatenus Hostem
- 4245 eius semper ope ualida depellere possis.
Quem Deus ad uitam praedestinat, accipit, ut stet
in uitae fine, qui, si cadat ante, resurget.
Hinc praestatur amor, hinc radicatur adhaerens
firmiter, hinc crescit suus in caelestia feruor.
- 4250 Non habet hoc donum praescitus, non quia non dat
hoc Deus, immo quia non accipit ipse, futurus
per propriam culpam finalis causa ruinae.
Quamuis sit semper potior dilectio caeli
gaudia producens, potius quandoque perorat
- 4255 ipsa strenuitas, ne mors fugiatur amara;
ad conquirendum caelestia plus ualet ista,
ad contemnendam mortem plus proficit illa.
Uel, licet exilis quantumlibet, ignis amoris
in se sufficiens est, ut temptatio, quamuis
- 4260 maxima, uincatur per eum, praebente iuamen
semper sufficiens Domino; nec praeditus ipso,
quod nequeat stare, prosternitur, immo quod eius
libera declinet ad declinanda uoluntas.
- 72r Nec supra posse temptari dicitur inde,
4265 quod nequeat stare, sed quod succumbere pronus
ad lapsum solet, fera si temptatio pulset.
Auctor cunctorum donorum Spiritus almus

4250 non³ R1 s.l.: om. Rac

4262 quod² R2: que Rac

4263 declinanda R2: declinenda Rac

4264-4276 hos 13 uersus in spatio 11 uersuum erasorum scripsit R2: 4272-73 om. Rac, ut uidetur (uersuum 4264-70 erasorum certa uestigia manent)

4267 sch. De septem donis spiritus sancti.

- septem praecipue donorum dicitur auctor,
in quibus elucet ipsius gratia maior.
- 4270 Haec septem dona uirtutes esse probantur.
Sunt timor et pietas donati dona timoris
et pietatis, et hinc 'uirtutes' dona uocantur:
quippe quid est donum pietatis quidque timoris,
ni pietas uirtus donata, timor quoque uirtus?
- 4275 Hinc inter dona meruit septena locari
uirtus, ex numero uirtutum quatuor una.
Uirtutes tamen a donis differre uidentur,
ad quas de donis scriptura teste uenitur;
sed 'uirtus' illic effectus dicitur eius.
- 4280 Non timor humanus, carnis productus amore,
quando, ne carni noceatur, culpa patrat,
non in mundanis mundanus damna prophetans,
ob quae uitanda captantur damna salutis,
non naturalis, quo mortis poena timetur,
- 4285 cuius turbasse Christum cognoscitur horror,
non seruilis, opus cohibens damnabile propter
luctum Cocyti, non propter gaudia caeli,
est uirtus; immo timor initialis, amorem
laetitia caelestis habens odiumque Gehennae,
- 4290 praemia respiciens et poenas semper, ob ambo
iustitiae partem persuadens semper utramque.
Hunc perfecta foras mittit dilectio, castum
suscipiens socium, qui non tormenta minatur
infernī, sed, ne Deus offendatur, amore
- 4295 caelestis patriae peccata cauenda perorat.
- 72v Filius ut caueat offensam patris, amoris
cogit respectus, non formidatio poenae.

4270-76 Is. 11,2-3. 4270 *sch.* Probat quod septem dona spiritus sancti sunt septem uirtutes. *sch.* (*paene deletum*) Probat quod inter dona septem ponitur una uirtus. (*Cf. sch. 4275*). 4272 *sch.* Sed donata pietas est uirtus, ergo donum pietatis est uirtus; sic de aliis. 4275 *sch.* Probat idem per hoc quod inter septem dona spiritus sancti ponitur una uirtus. 4277-78 I Cor. 12,10. 4277 *sch.* (tamen) Probaui quod dona sunt uirtutes. 4279 *sch.* Solutio. *sch.s.l.* (eius) Doni scilicet. 4280-88 *sch.s.l.*: *signis appositis uerba* Non timor humanus *cum* est uirtus *iungenda esse indicatur*. 4284-85 Matth. 26,39; Marc. 14,36; Luc. 22,42; Ioh. 12,27. 4288 *sch.s.l.* (initialis) Est uirtus scilicet. 4292 I Ioh. 4,18. *sch.s.l.* (Hunc) Initialem. *sch.s.l.* (dilectio) Timor filialis.

- Obsequiis etiam reuerentia mixta timoris
 istius est usus, quem solum Christus habebat;
- 4300 quem timor in patria seruat, nec deserit umquam:
 caelitibus tremor est reuerentia sola; trementes
 non grauat, immo iuuat, subiectio debita Summo.
 Est malus humanus timor ut mundanus, uterque
 demeritorius et uigilanter uterque cauendus.
- 4305 In naturali non est meritum neque culpa,
 quem non natura, uerum corruptio gignit
 naturae, quae sic naturae semper adhaeret
 et pro natura nobis inoleuit, ut eius
 proles assumat ex eius nomine nomen
- 4310 et naturalis dicatur; non tamen est aut
 naturae donum aut homini concretus ab illa.
 Seruilis bonus est, introductiuus amoris,
 non meritorius, ut non informatus amore.
 Ut linum saeta, sic introducit amorem;
- 4315 cum lino saeta non permanet, ante foramen
 exit, ut introeat linum: sic et timor ante
 ingrediens, ut amor post intret, et ante recedit.
 Sic est initium, sic est occasio quaedam,
 sic est et causa quaedam uenientis amoris.
- 4320 Iste manum cohibet et non animum, quia uiuit
 non extincta, licet lateat, peruersa uoluntas.
 Hinc uult furari, desiderat, appetit is, qui
 uult; non furari praefert ac eligit, ut non
 incurrat poenam, cessans prudenter ab actu.
- 4325 Ergo timere bonum est seruiliter, unde cauetur
 73r perditionis opus, quamuis formidine poenae;
 sed sine uirtute metuit, quicumque timore
 seruili metuit: uerum non prouenit inde,
 esse bonum sine uirtutis quem luce timere,
- 4330 quamuis expediat et prosit amore carenti,
 ut mala deuitet, quamuis terrore flagelli.
 Dicitur iste timor 'seruilis', non quia seruuum
 peccati faciat aut poenae (sic malus esset),

4303 humanus *RI*: humanum *uel* humanis *Rac*

4314 *sch.* Nota.

4332 *sch.* Nota.

- sed serui ritum seruat, quia non ad amorem
 4335 respicit, ut Domino deseruiat, immo timorem,
 quem seruire suo Domino non lenis amoris
 accendit dulcor, sed pungit spina timoris;
 sic timor is terret poena, non mulcet amore.
 Initialis habet meritum, uelut ad Styga sic et
 4340 caelum respiciens, oculum sortitus utrumque.
 Intra, non extra sumendum more prioris
 hic est 'initium', quod habet sapientia secum,
 cuius ferre nequit lucem caligo prioris.
 Istum praeterita pariunt peccata timorem,
 4345 quorum completa dubitatur debita poena,
 unde secutura grauior uindicta timetur
 alterius saeculi, quamuis caelestis amore
 uitae speretur pax successura perennis.
 Sic animum uarius affectus distrahit: istinc
 4350 dulcis amor recreat, timor illinc torquet amarus;
 quare non capiunt simul augmentum, sed amore
 excrescente timor decrescit, ni nouus horror
 circa praeterita surgens peccata timorem
 reddat maiorem, quamuis dilectio duret,
 4355 quanta fuit, siue flamma feruoris adaucta.
 73v Aut in scriptura, in qua fit collatio talis,
 appellatur 'amor' fiducia: quippe timor plus
 semper decrescit, quo plus fiducia crescit;
 aut est indicium maioris semper amoris,
 4360 quod peccata minus timeas plectenda futuro
 iudicio, quorum hic es poenam passus amaram.
 Ex hoc perfecti signum generatur amoris,
 quod de iudicio fiducia grata supremo
 ex meritis operum surgat poenaeque peracta,
 4365 quae perpetratis respondit debita culpis.
 Sic perfectus amor, quamuis nullatenus in se
 ipso decrescat, perfectus desinet esse,
 si de peccatis surgat timor ante sepultus.

4336 lenis amoris *praeter litteras le in ras. R2: ? Rac (prima uox fort. leuis uel letus)*

4356 Aut: *n̄ add. Rac*

4366 quamuis *Gz: quauis R*

Quorum sufficiens prius est punitio uisa,
 4370 quando uidebantur multo leuiores, timetur
 nunc insufficientis, quoniam grauiora uidentur,
 quouis ipsorum foetorem forte docente
 et demonstrante, quam grandis poena patratas
 expectet culpas, si non consumpserit ipsas
 4375 ignis poenarum praesentis tempore uitae.

Perfecto solus castus sociatur amori,
 non Stygis attendens poenas sed gaudia caeli,
 quo patre paupertas animi, quae prima beatos
 efficit, effectus eius quasi filia surgit.
 4380 Qui non formidat mortem, sed totus amore
 caelestis patriae flagrans desiderat, ut sit
 cum Christo, nullo claudenda fine salute,
 aeterna pace fruiturus, luce perenni,
 perpete laetitia, mensurae cuius abyssus
 4385 quodlibet humani sensus excedit acumen,
 74r qualiter aeternae praeferreret uana saluti,
 aut terrenarum rerum caperetur amore,
 aut propter quemuis saeculi turgeret honorem?
 Si cui dulcescant intermina gaudia caeli,
 4390 uilesunt subito celerem capientia finem
 quaeuis terrena, miscentia tristia laetis,
 post risum saepe tristem minitancia fletum.
 Sic timor est uirtus ui stans pellente tumorem.

Est pietas cultus Domini, theusebia dictus,
 4395 quem non constituit tantum reuerentia iusta,
 sed super afflictos mitis compassio mentis
 et quaeuis in amore Dei subuentio facta.
 Istius effectus est mansuetudo, secunda
 septem, quae faciunt Christo tradente beatos

4372 foetorem *K*, *Gz*: fecorem *R*

4374 expectet *Gz*: expectat *R*

4375 ignis *R2*: lignis *Rac*

4399-4400 *hos duos uersus scripsit R2, et quidem 4399 in spatio unius uersus erasi, 4400 a dextra: ? Rac*

4376 *sch.* Nota septem uirtutes et septem dona et septem uitia mortalia. *sch.*
paene deletum A septem donis septem uirtutes quibus contraria sunt septem peccata
 mortalia. 4378-79 *Matth.* 5,3. 4383-85 *Phil.* 4,7. 4394 *sch.* (theuse-
 bia) cultus domini. Nota. 4398 *Matth.* 5,4.

- 4400 in tangente scala Iacob fastigia caeli.
 Obuiat inuidiae pietas contraria uirtus.
 Inter peruersos prudenter uiuere, contra
 aduersos fidei certamina sumere, uita
 actiua Domino seruire scientia uirtus
- 4405 nos docet accipiens diuino munere formam,
 per quam limpidius scimus, quae sciuius ante.
 Ista bonos luctus producit et obuiat irae.
 Effectus quartae sitis esuriesque probatur
 iustitiae, siquidem, quo iustum roborat ipsa
- 4410 plus in iustitia, tanto feruentius ipse
 iustitiam sibi plus sapidam sitit, esurit, ardet.
 Accidiae pestis ista uirtute fugatur.
 Consilium uirtus est, qua tibi, quid sit agendum
 praecipueque Deo sit gratum, Spiritus almus
- 4415 inspirat; quare persuadet et efficit in te,
 ut perfecta tibi placeat miseratio, quando
 74v sic aliena mala ueluti tua pellere curas.
 Crimen auaritiae patet hac uirtute repelli.
 Est intellectus, qui culpis extitit ante
- 4420 informis, dono formatus Pneumatis almi
 uirtus, cuius ope supra terrena leuatus
 ad contemplanda deitatis cuncta creantis
 spirituumque creatorum fastigia surgit.
 Sic isto dono mundatur cordis ocellus,
- 4425 qui prius immundus fuit, intellectus, ad alta
 surgere non temptans depressus pondere culpae.
 Sic mentem reficit haec sacri Pneumatis esca,
 ut gula contempta nequeat superare refectam.
 Informata Dei dono sapientia uirtus
- 4430 est, qua mens hominis hominem transcendit et artem
 contemplans tantum summae deitatis amore
 ipsius ignescit et delectatur in ipsa.
 Mentem dulcificans, motus quoscumque rebelles
 pacificans pacem producit pectoris et, quae

4430 artem *K*, *Gz*: artem *uel* arcem *R*

4400 Gen. 28,11-17. 4407 Matth. 5,5. 4408-09 Matth. 5,6. 4416
 Matth. 5,7. 4424 Matth. 5,8. 4434 Matth. 5,9.

4435 per desiderium totam se colligit intus,
uitat luxuriam, ne eneruiter effluat extra.

Haec sunt antidota septem, quae, praestita gratis
a non exacto Domino, post perdita stulte
per culpam, Deus instituit prius esse petenda
4440 ac affectanda, quam dentur, ne nisi gratus
obtineat dona, quae ingratus perdidit, ut, dum
dantur difficile, seruentur praestita caute.

Hinc, quod congrueret septena petitio septem
donis, disposuit Deus auctor, et utraque septem
4445 opposuit uitii memoratis, quae quasi morbi
corrumpunt hominis naturam; sed, quasi septem

75r antidotis septem donis uenientibus, ante
corruptus reparatur homo, corruptio cedit
naturae, redit integritas, morbi que recedunt.

LIBER VIII

- 4450 Peccatum primum primae matris fuit Euae
 omnis peccati radix. Elatio mentis
 ex seductoris uerbis concepta dolosis,
 nec propter 'forte' dubitatio, poena tumoris,
 praecessit culpam, quia non dubitatio, uerum
 4455 arbitrii data libertas per 'forte' notatur;
 uel, quia non cauit fraudem, peccauit, et inde
 peccati poena dubitatio iure secuta est.
 Credidit illecta uerbis pellacibus Eua
 aequari Domino uetitum se posse per esum
 4460 aut nullum dominum supra se prorsus habere;
 hoc fieri non posse licet cognosceret ante,
 quodque mereretur poenas, non praemia, quisquis
 auderet temere Domini contemnere iussum,
 ambitione tamen errans neglexit utrumque
 4465 ac ad promissi culmen respexit honoris.
 Non seductus Adam est nec sic errauit, ut Eua;
 de pietate Dei confidens credidit ausum
 sumendi uetitum ueniam, quatenus, etsi
 culpam patraret mortalem, posset ab ipsa
 4470 absolui ueniamque statum rehabere priorem.
 Ante statum culpae se non euadere posse
 mortem naturae, uetitam si sumeret escam,

4456 cauit R2: canit Rac

4469 patraret R2: patrantur (?) Rac

4451-54 Sirach 10,15. 4452 sch.s.l. (seductoris) Diaboli. 4453-55 Gen. 3,3. 4453 sch.s.l. (tumoris) Superbiae. 4466 sch. R2 mg. sin. In epistula ad Timotheum prima (I Tim. 2,14). sch. R2 mg. dext. Et in Sententiis sub titulo "Quis plus peccauit Adam uel Eua" circa medium capituli (P. Lomb. II, 22,4,4): "Inexpertus enim diuinae seueritatis in eo falli potuit, ut ueniale crederet esse commissum, sed dolo illo serpentino quo mulier seducta est nullo modo arbitror 'Adam' potuisse seduci." Uerba sunt Augustini (Aug. De Civit. Dei XIV, 11 et De Gen. ad Litt. XI, 42 (PL 34: 454)).

- sciuit Adam; quod non aduertit tempore culpae
peccati tenebris caligans cordis ocellus.
- 4475 Ad deuitandam culpam quod profuit illi
75v scire, nisi sciret hoc, ignoraret, et ante
poenam sentiret, quam culpae conscius esset.
Hinc patet uxorem plus deliquisse marito,
cum non ambitio sic excaecauerit illum,
4480 ut se posse Deo similari crederet, etsi
ambitione rea mens caligauerit eius,
affectu quodam tenui ualdeque remisso,
quod satis agnouit fieri non posse, uolentis.
Et sic distincta, quae discordare uidentur,
4485 concordant sacrae scripturae dissona uerba.
Ignorans Eua fieri non posse, quod errans
ambiuit, minime fuit inculpabilis, ex quo
contra praeceptum se sciuit sumere pomum.
Eius deminuit tamen ignorantia culpam;
4490 et, quamuis simili ratione scientia culpam
augmentaret Adae, non sic tamen auxit, ut eius
culpa, licet grandis, culpam transcenderet Euae;
sed minor ex tenui fuit ambitione mariti,
Euae maiorem fecit praesumptio maior.
- 4495 Est inuincibilis, est ignorantia quaedam
uincibilis: prior a peccato liberat omni,
praecedens culpa si non produxerit ipsam;
quaedam uincibilis est facti, prorsus ab omni
excusans culpa, si non sit crassa, supina;
4500 est quaedam iuris, animarum aduersa saluti;
est et ad officium spectans, genitiua reatus;
est quaedam causae poenalis, nescia culpae;
quaedam uincibilis est affectata, sed ipsa
non magis excusat quam pulsa scientia culpam;

4475 Ad: d R errore rubricatoris; a in mg. sin. add. R2 uel R3

4478-4483 hos sex uersus in spatium quattuor erasorum scripsit R2 (idem nulla uoce mutata uersum 4484 renouauit): ? Rac

4495-4500 hos sex uersus in spatium quattuor erasorum scripsit R2 (loco litterae E initio uocis Est in 4495 spatium uacuum uidetur, quod rubricatori explendum erat): ? Rac

4484-85 Sirach 25, 33; Rom. 5,14; I Tim. 2,14. 4496 sch. (prior) Scilicet ignorantia <in> uincibilis.

- 4505 est et uincibilis simplex, quae, tollere quamuis
non ualeat totam culpam, pro parte minorat.
Quamuis quandoque sine culpa non sit aberrans
in tenebris, non est tamen ignorantia culpa,
sicut nec uirtus fecunda scientia lucis.
- 76r Nescius officii, quod debet scire, sacerdos,
si prius ob culpam doleat, quam discere possit,
culpam deponet, licet ignorantia duret.
Peccatum hinc actus haec ignorantia non est,
quod transire solet actu, remanere reatu:
- 4515 sic, dum delictum cordis contritio tollat,
non est delictum plus ignorantia durans;
sed nec originis est peccatum, quod manet actu
et transit culpa, cum transeat ipsa frequenter
culpa durante, si discat presbyter ante
- 4520 officium, quam submoueat contritio culpam.
Non affectata fuit ignorantia Sauli,
quae non excusat; non excusare reatum
posset, si propter hoc affectata fuisset;
sed, ne peccaret, antiquae legis amator
- 4525 Saulus nescire uoluit, quae falsa putauit,
discredens monitis, quae credidit obuia legi:
promeruit ueniam sic ignorantia Paulo.
Impiger ad ueniam Deus ignoranter agentis
promptius ignoscit quam praua scienter agentis.
- 4530 Plus ignorantis tamen imminet inde periculi,
quod non formidat culpas, quas nescit, iniquas.
Ambitio maior peccatum reddidit Euae
seductae maius, licet ignorauerit Eua,
quod satis agnouit fieri non posse maritus,
- 4535 quamuis maiori uirtutum luce nitescens
ipse teneretur magis euitare reatum;
clericus astrictus magis est peccata cauere,
quae facit in laico maior maiora uoluntas.
Plures offendit sceleratior Eua marito:

4511 discere *R1*: dicere *Rac*

4520 submoueat contritio culpam *R2 in ras.*: ? *Rac*

4530 periculi *R2*, & *R1 in litura*: ? *Rac*

- 76v se laesit, Dominum spreuit, sociumque fefellit;
sed peccans sibi uir nocuit, non obfuit Euae.
Plus punita fuit, quia plus deliquerat, Eua,
propter peccatum in partus punita dolore;
culpam maiorem non praeterit ultio maior
4545 et punit, quam non debet punire, minorem.
Par inerat fastus illis in dispare sexu:
hoc est, communis, sed non aequalis; uterque
fastu deliquit, grauius tamen Eua marito.
Cognitione Dei sic maxima poena carere est,
4550 communis siquidem damnatis omnibus extat.
Sicut abundauit plus donis omnibus, et plus
omnibus excessit aliis transgressus herile
iussu primus homo; quare, quanto fuit ante
gratior in donis, tanto post coepit haberi
4555 nequior in culpis. Sed quamuis omnibus ipse
commissi ratione magis deliquerit, inde
non sequitur, quod plus deliquerit omnibus ipse,
quem minor in donis culpis superauerat Eua.
Non corruptelam suboles incurreret Euae
4560 Eua peccante, nisi uir delinqueret Euae.
Non genus humanum posset corrumpere sola
culpa uoluntatis, si non sequeretur et actus;
mors intentata est non manducare uolenti,
sed manducanti: quare non propter edentis
4565 affectum mortis sequeretur poena, sed actum.
Nullo diuiditur a culpa tempore poena;
poena tamen mortis est debita facta per esum.
Nostras corrumpit animas corruptio carnis,
uerum corrumpit animae corruptio carnem
77r primi patris Adae, sed in actu, quando comedit.
Cui fuit inflictum, ne non delinquere posset,
cum nollet, quando potuit, uitare reatum,
ante uoluntatis prauae culpam liquet esse

4552 herile R2: herilis (?) Rac

- 4541 sch. Et ita plus nocuit Eua quam Adam. 4549-50 Matth. 7,23; 25,41;
Luc. 13,27-28. 4560 sch.mg.sin. Uidetur quod possit probari per istud quod
plus peccauit Adam quam Eua. sch.mg.dext. Nota. 4564 sch. Nota.
4569 sch. Uersa uice.

falsum quod nollet; sed nec potuit quid eodem
 4575 tempore uelle simul et nolle: relinquitur ergo,
 inflictam mortis poenam non propter edendi
 affectum, sed ab affectu quia uenit ad actum,
 qui tantum legitur uetitus, non ipsa uoluntas.

Sed si non possit homo non peccare, necesse
 4580 indubitanter habet peccare; nec hoc, quia culpa
 accidit, afflicti ualet excusare reatum:

uis non excusat, quam praeuia culpa ministrat.
 Peccat omittendo saltem, quem gratia nulla
 iustificat, cum non habeat, quod habere tenetur;
 4585 hinc sine peccato nec solum transuolat instans,
 uel uitare nequit, quin peccet tempore longo.

Uenam peccati non perferet ocius orta
 uis erumpendi retineri tempore longo:
 sic, licet ad tempus claudatur anhelitus intus,
 4590 continue nequit includi, quin exeat extra.

Sic, licet euitet uenialia per breue tempus,
 non uitare potest ea iustus tempore longo;
 ut paruus uictus infirmum se sciat esse
 attribuatque Deo, si possit magna cauere;

4595 sic sine peccato nos denegat esse Iohannes.

Nec tamen arbitrii libertas tollitur, ex quo
 libera, ne possit compelli, nostra uoluntas
 permanet, ut nostra nec dici posset, in ipsam
 si cuius esset alii collata potestas;

77v uelle quid inuitus nemo compellitur, etsi
 inuitus quisque compelli possit ad actum.

Si perimi metuas, si non perimas tibi carum,
 non perimas, sed te perimi plus sit tibi carum:
 nemo metu mortis debet committere crimen;

4605 hinc non, ut perimas, praecise cogaris, immo
 culpam uitabis, si te perimi patiaris.

4596 Nec R2: Sec Rac (S minio pictam, R2 atramento in N mutauit) || tamen R2 in ras.:
 ? Rac

4598 posset Gz: possit R

4578 sch.s.l. (qui) Actus. sch. (uoluntas) Id est, primus motus ad actum.

4591 sch. Nota. 4595 I Ioh. 1,8-10. 4600 sch. Uoluntas cogi non potest,
 licet ad actum cogatur. 4604 sch. Prouerbum.

- Liber in hoc malus est, ne cogatur; bonus autem liber et a culpa; sed nullus liber ab hoste carnis, spiritui semper grauis atque rebellis.
- 4610 Quare liberius habet arbitrium bonus, etsi solus sufficiat per se malus ad mala, solus absque Dei dono numquam bonus ad bona prosit: ut nihil aspicias, citius non claudis ocellos, quam reseres, ut prospicias, licet haud sine luce.
- 4615 Excipitur solus Deus, in quem non cadit ulla peccati macula; sed cetera, libera cum sint arbitrio, partem flecti possunt in utramque. Non utrimque tamen bonus aut malus angelus, immo flectitur angelica natura, sed ad bona tantum
- 4620 qui bonus est, sicut et qui malus ad mala tantum; aut flecti potuit, quamuis non possit, uterque ad partem utramque, ne uis in tempore fiat.
- Cum temptare malum sit, non temptare uidetur esse bonum: quare, cum Daemon possit utrumque,
- 4625 declinare potest in partem Daemon utramque. - Sed 'non temptare' constat nil esse, negatum; affirmatiue, sicut quemuis male temptat, sic et temptare Daemon semper male uitat.
- Sunt animae uires, quarum discernimus una,
- 78r si mala uel bona sint, quaecumque cupiscimus una aut etiam detestantes irascimur una; ad quas arbitrii libertas pertinet, ut sit uis quaedam per se, residens uelut arbiter inter illas tamquam causidicos iurisque peritum:
- 4635 non, quod discernit uel de tribus ista uel illae allegant, sequitur uis haec addicta; quod eius arbitrio melius concordat, libera captat. Grata uoluntati quia iudicat, hinc super ipsam

4614 haut R2: aut *Rac*

4622 uis *nos*: ius *R*, *Gz*

4626 *sed* R2: si *Rac*

4612 *sch.* Nota. 4623 *sch.* *paene deletum* Locus a contrariis. 4629 *sch.s.l.*
 (una) Scilicet ratio (*uel* ratione). 4630 *sch.s.l.* (una) Scilicet. 4631 *sch.s.l.*
 (una) Scilicet. 4632 *sch.* Uim <rationalem et > concupiscibilem et irascibilem
 scilicet. 4635 *sch.* Nota optime dicit.

- hanc uim 'iudicium' descriptio nominat eius.
- 4640 Non hoc iudicium rationem dixeris: ipsa numquam peccatur. Ratio nec dictat agendum hoc Satanae, quod agit Satanus, nec credit agendum; nec peccat Satanus hinc ex ratione, quod ipsi peccanti ratio non assistat, uelut, etsi
- 4645 non assistat ei spes uel dilectio uirtus, non tamen ex ista peccat quandoque uel illa. Non ex hac peccat, qui non discernit id esse peccatum, quod agit, quamuis rationis amussi debeat omnis homo discernere, quid sit agendum;
- 4650 sed magis hanc caeca parit ignorantia culpam. Credens, quod Genitor sit Filius, inde quod ambo unum sint et idem, non ob rationis acumen sed magis ex eius defectu caecus oberrat. Furandum ratio suadet de nocte uolenti
- 4655 prorsus furari; dissuadens omnia furta, quem prohibere nequit a culpa, consulit illi cautelam culpae, ne deprendatur in ipsa: consulit, ut celet culpam uelamine noctis, qui dissuadenti culpam parere recusat.
- 78v Nonne uoluntatem uelut uxorem, uelut Euam, a culpa ratio quasi uir cohibere tenetur? Sed cum pro posse culpam dissuadeat, etsi litus aret dissuadendo, non est rea culpae. Sani consilii tribuendo munus adimplet
- 4665 plenius officium, minime culpabilis, etsi consilio praeponat opus peruersa uoluntas. Tres licet arbitrium uires comprehendat, eoque spreto consilio rationis utraque duarum delinquas, numquam tamen ex ratione reatum
- 4670 incurris, sicut non partes aspicias omnes inde domus, quod eam uideas, quae partibus extat. Non animal brutum primo discernit agendum et post aggreditur placitum: ratione carenti

4648 amussi *A¹pc*, *Gz*: amissi *R*

4649 quid *Gz*: quod *R*

4654 Furandum *Gz*: Curandum *R* (*C a rubricatore scripta est*)

4661 quasi: ratio *add. & exp. R1*

4666 opus *R1*: pus *Rac*

nulli, quid faciat, discernere conuenit; unde
 4675 cum nil discernant ratione carentia bruta,
 arbitrii quoque libertate carere probantur,
 quod, discernente ratione prius, quid agendum
 sit, semper libitum sequitur, non semper agendum.

Bruti est appetere, bruti est sentire, sed eius
 4680 non est quid uelle, non est discernere, quae sint
 iusta uel iniusta, peruersa, nociua saluti.

Non est arbitrii libertas ulla potestas
 peccandi, sicut nec currendi, quia, cum sit
 peccatum cursus, est una potentia cursum
 4685 hunc exercendi committendique reatum;
 quod constat uerum, si uera potentia non sit
 ex hominis uitio procedens ipsa potestas
 peccandi (non ex natura; qualiter esset
 naturam perimens naturae uera potestas?).

79r Peccatum nihil est; committere posse reatum
 non est quid posse, sed uerum perdere posse:
 non potuit peccare Iesus, licet omnia posset.
 Qui tenebras cernit auditque silentia, nil sic
 cernit, nil audit; ita, qui peccare potest, nil
 4695 inde potest, sed fit infirmior et minor inde;
 sic est debilitas quaedam, imperfectio quaedam,
 defectus quidam peccandi praua potestas.

Culpam praecessit in primo patre potestas
 peccandi; sed erat sine poena debilis atque
 4700 infirmus, quia non fortis nec firmus in omni
 prorsus parte, licet poenae cuiuslibet expers.

Ex his colligitur, quod non sit uera potestas
 et non a Domino peccandi nulla potestas,
 quamuis a Domino sit quaeuis uera potestas.
 4705 Aut est a Domino numquam nisi uera potestas
 peccandi, sed non ad peccandum, sed agendum
 recte, cuius ad hoc a Daemone prodit abusus,
 effectus malus a quouis patrante reatum:
 Pilato fuit a Domino concessa potestas,

4675 carentia *RI*: .arentia *Rac*

4700 firmus *RI s.l.*: fortis *Rac*

4709 Ioh. 19,10-11.

- 4710 quam contra Dominum Satana suadente retorsit;
non potuit uel ouem solam Iob laedere Daemon,
donec ei Dominus conferret posse nocendi;
regem dat populo quandoque Creator in ira,
hypocritam facit ob populi peccata praeesse.
- 4715 Sic geminos ramos habet una potentia prorsus
aduersos: unus bonus est, alter malus; unus
decrescit, quando crescit contrarius alter;
ad facienda bona bonus, ad mala flectitur alter,
et confirmatur interdum taliter unus,
- 79v ut non permaneat alter, sed desinat esse.
Est sancti Petri nunc, quae fuit ante, potestas
ad facienda bona tantum, non ad mala, sicut
ante fuit, quando potuit simul ambo uiator;
in Satana durat eadem, licet ad mala tantum.
- 4725 Sed quiuis ramum conseruat utrumque uiator;
excipitur solus Christus, qui, quando uiator,
et comprensor erat, immunis prorsus ab omni
defectu, de quo posset procedere culpa.
At, quamuis in te sit peccatore potestas,
- 4730 qua possis agere recte, numquam tamen actus
esse bonus poterit, nisi suffragetur agenti
gratia iustificans: sic iste uidere potest, qui
nil uidet ob tenebras, actus tamen ante uidendi
non exerceri poterit, quam luceat aer.
- 4735 Hinc Augustini sententia uera probatur
haec, quod homo, quando uult, possit uiuere recte.
Synderesis Satanae perdurat prorsus inanis
et sic extincta, ne quando prouocet illum
affectare bonum quoduis, mala semper amantem;
- 4740 uerum non hominis culpis extinguitur, etsi
turbetur, ratio: non tantum crescere posset
excessus, quod homo ductu rationis amare
non posset quandoque bonum durante reatu.

4715 una *R1 s.l.*: *om. Rac*

4729 *At Gz*: *Et R*

4739 *quoduis R2*: *quamuis Rac*

- Dono naturae bona uult homo, sed sine dono
 4745 gratuito meritoria non erit ipsa uoluntas,
 nec prius effectum capiet, quam gratia detur;
 quamuis ante uelis, bona non operaberis ante,
 quam ueniens opera meritoria gratia reddat:
 sic iuxta carnem iacet inclinata uoluntas,
 80r ut per se nequeat ad opus consurgere sanctum,
 quo conquirantur aeternae gaudia uitae;
 sic nec sufficiens, ut dicit apostolus, est quis,
 ut quid sufficiens excogitet, unde perennem
 acquirat uitam, sed sufficientia nostra
 4755 a Domino est omnis, cunctorum auctore bonorum.
 Quamuis uelle bona naturae munere possis,
 saepe uoluntatem praeuentrix gratia confert:
 uelle bonum tribuens praeuenit gratia Paulum.
 Praeuenit et sequitur interdum gratia uelle:
 4760 praeueniens tribuit, succedens perficit illud;
 gratia praecedit, ut detur recta uoluntas,
 haec eadem sequitur, ut ad actum praestita surgat.
 (Interdum accipitur hoc nomen 'gratia' large,
 ut complectatur quoque naturalia dona,
 4765 cum non reddantur, sed gratis praestita dentur.)
 Quamuis a Domino detur quaecumque potestas,
 a Domino non est hominis peruersa uoluntas;
 per se quippe potest homo uelle malum; sed id ipsum
 non, nisi posse Deus dederit, producet in actum.
 4770 Sicut dupliciter peccatum dicitur (actus
 priuatus fine iusto, priuatio finis
 iusti), sic duplicem sententia tertia tradit
 esse potestatem peccandi, scilicet actum
 patrandi iusto priuatum fine (sed illa
 4775 semper ab auctore Domino confertur) et actum
 priuandi fine iusto (sed nec Deus illam
 confert, nec debet censeri uera potestas).

4754 acquirat Gz: acquireret R, fort. recte

4768 id R1: in Rac

- Ex auctore Deo procedit quilibet actus
 siue bonus siue malus, a quo quidlibet esse
 80v constat, tam formam quam rem generaliter omnem.
 Ut Satanas malus est, cuius tamen est Deus auctor,
 sic actus cuiusque mali Deus unicus auctor,
 quamuis in neutro uitium procedat ab ipso.
 Actus si fieret malus a Satana, Satan esset,
 4785 de nihilo faciens actum quemcumque, creator.
 Sic ex aduersis auctoribus una duobus
 actio prodiret, bona principio, mala fine;
 sic geminos unus auctores actus haberet,
 si malus in fine fieret bonus actus ab ortu,
 4790 et sic non unus existeret omnibus auctor.
 Ex auctore Deo uelut hoc genus 'actio' prodit,
 sic omnes species eius prodire necesse est,
 cum contentarum specierum sit genus esse;
 sic est a Domino, licet actio sit mala furti,
 4795 cum furtum species ac actio sit genus eius.
 Quamuis a Domino sit quaelibet actio, sitque
 ex multis una furtum, non est tamen inde
 a Domino furtum, cum complectatur et actum
 et uitium simul haec infamans dictio 'furtum'.
 4800 Sic Deus hunc actum deformem fecit: in actum
 tantum transitio uerbi fiat; tamen inde
 non fecit furtum, quoniam nullatenus illic
 actus et uitii fieri seiunctio posset.
 A Domino fuit esus Adae, fuit actus edentis
 4805 de ligno uetito, fuit ipsa comestio pomi;
 ipsam fecit Adae rerum Deus auctor inesse.
 Sic uoluit, quod Adam manducaret, quod eidem
 ne manducaret praecepit, nec tamen ipsum
 gustando uetitum uoluit contemnere iussum;

4780 rem R2 s.l.: om. Rac

4781 Vt R2: At (A a rubricatore scripta) Rac

4785 de R2: .e Rac (prima littera, quam R2 erasit, a rubricatore picta erat)

4786 & 4788 Sic R_{pc} (litteras ic R2, utramque S rubricator in ras. scripsit): ? Rac (an s
 attramento ?)

4781 sch. Nota. 4786 sch. Et sic non eodem respectu.

- 81r immo, quod uoluit fieri sciuitque futurum,
inde Deus uetuit, ut in asperitate flagelli
contempti iussus manifeste poena pateret,
ut pensaretur ex grandis pondere poenae
excessus grauitas, saltemque timore flagelli
4815 praeceptum Domini seruus seruare studeret.
Sic est a Domino tam Iudae dictio, falsum
dicentis, quam credulitas contraria dicto,
et uult utramque diuisim: non tamen inde
ipsis coniunctis mentiri uult Deus illum.
- 4820 Sicut Iudaeos Dominus crucifigere Christum
nequaquam uoluit, sic nec uoluisse Deum, quod
manducaret Adam, quidam defendere curant.
Hoc uerum 'Iudam furari' uult Deus, esse
praestando; non uult (hoc est: non approbat) ipsum;
4825 confert esse Deus dicto, quod reprobatur, ut non
arbitrii libertatem peccare uolenti
tollat, sed potius peccantis puniat ausum,
esse quid euentus licet a plerisque negetur,
sed tantum modus est aptus suetusque loquendi.
- 4830 De re non aliquem furari uult Deus, huicque
nulla notans uitium iungenda est dictio uerbo.
Non est a Domino peccatum siue reatus
seu uitium siue recti priuatio finis,
uirtutes pellens et naturalia dona
4835 deminuens, corpus corrumpens, quosque superna
Ierusalem facit indignos ad Tartara mittens;
quamuis tot faciat, in rerum non habet esse
natura, siquidem, cum sit generaliter omne
esse bonum per se, ueraciter illud haberet
- 81v a solo Domino, cunctorum auctore bonorum;
naturale bonum cum sit cuiuslibet esse,
ex auctore Deo procedit quodlibet esse.
Cum cuiusque rei sit finis debitus auctor
cunctorum rerum Deus, omnis ad eius honorem
4845 est exercendus actus; nisi fiat ad eius

4833 seu *RI*: siue *Rac*

4841 naturale *RI*: naturele *Rac*

4823 Ioh. 12,6.

- laudem, deformis erit, et priuatio iusti
 finis, deformans actum, uitiat agentem.
 Non tamen effectum priuatio talis habebit,
 non ideo quid erit, quoniam nihilominus illo
 4850 ut quouis alio Dominus laudabitur actu:
 materiam laudis diuinae quilibet actus
 praebet, et in quouis Auctoris imago relucet;
 nulla creatura reticet praeconia laudis
 diuinae; quamuis non hoc intelligat omnis,
 4855 posse Dei, sensum, bonitatem praedicat omnis
 auctoremque Deum se contestatur habere.
 'Iudas est malus': haec quamuis oratio uera
 sit, 'malus' hoc nomen nil copulat et nihil illic
 attribuit Iudae; tantum est ibi copula uocum;
 4860 sic et in hac: 'actus est deformis' nihil istud
 nomen 'deformis' apponit, nulla per ipsum
 proprietas in supposito deprenditur esse.
 Numquid pollutus culpa uirtute cluenti
 dissimilis debet dici, cum non sit in ipso
 4865 proprietas aliqua, quae non reperitur in illo?
 Dicitur improprie peccatum 'poena': uel instar
 ignis, qui poena censetur, quippe ministrat
 materiam poenae, uel dicitur inde reatus
 'poena', quod est causa poenae aut occasio quaedam.
 82r Passio, qua patimur, cum iusta sit omnis et omnis
 a Domino, nullus est talis poena reatus;
 passio, quam patimur, cum culpa sit ipsa ministrans
 materiam poenae, non ipsius est Deus auctor.
 Dicitur et 'poena peccati', quippe reatus
 4875 posterior uelut effectus solet esse prioris:
 gratia subtrahitur, quando quodcumque triumphat
 peccatum, cuius subtractio praestat, ut intrent

4860 hac *RI*: ac *Rac*

4864 debet: esse *add. & exp. RI*

4867 qui *RI*: que *Rac*

4870 qua *R2*: quam *Rac*

4853-54 Psalm. 144; 148.

4859 *sch.* Contra logicam.

4860 *sch.* 'Actus

est deformis': adiectiuum nihil copulat. 4866-67 Psalm. 10,7.

- liberius uacuum peccata sequentia mentem;
 sic, qui sordescit, est iustum, quatenus illi
 4880 gratia tollatur, ut sordes sordibus addat,
 peccati siquidem meritis debetur, ut obex
 firmior oppositus peccatis, gratia, cedat,
 et sic contingit lapsum in peiora relabi.
 Non ex peccato quisquam peccare meretur;
 4885 ex uno incidere peccato nemo meretur
 in quodcumque nouum, ne pro merito, quod utrumque
 respicit, in culpam seruum Deus inferat ultor:
 nullius culpae Deus est uel causa uel auctor.
 Si culpae merito deberetur noua culpa,
 4890 qua ratione minor maior, non una sed omnis
 ac omnis culpae fieret quoque debita poena:
 sic deberetur grandis cuiusque reatus
 poena licet minimo mortali, non sua tantum;
 quod licet absurdum uideatur, opinio fuit
 4895 dicentum 'lapsum labi in peiora mereri',
 quamuis post mortem poenam non sentiat eius
 peccati, in cuius non incidit ante reatum.
 Sic, licet augmentum sancti merearis amoris,
 maioris brauius praeuentus morte carebis.
 82v Nec ratione carere uidetur opinio, cum se
 omnibus auxiliis indignum quilibet omni
 mortali reddat, et nemo resistere possit
 cuiquam peccato, si quaeuis gratia desit,
 quodlibet auxilium, quo possit culpa repelli;
 4905 sed, licet ex culpa merearis non bonus esse,
 nullam uitare nullique resistere culpae,
 non tamen incidere in culpam aut malus esse mereris,
 cum numquam Dominus sit seruo causa ruinae.
 Cum sit peccatum liuor, non est dolor, etsi
 4910 dicatur, quoniam sociatur saepe dolori;
 inuidiam crebro comitatur poena doloris.
 Inuidus alterius laetis successibus aeger
 torquetur, quando gaudet felicibus alter;

 4900 Nec R2: Non Rac

4879-80 Apoc. 22,11. 4912 Cf. Hor. Epist. 1,2,57.

- econtra gaudet ob tristia, quando flet alter:
 4915 tristibus exsultat, laetis tristatur, utrimque
 illicite motus incurrit utrimque reatum
 tanto maiorem, quod radix sit tumor eius
 effectusque odium fraternum, quod facit ortum
 omnia peccata, licet ante remissa, redire,
 4920 ut redeunt, tibi si doleas dimissa fuisse,
 ut redeunt, si post peccata remissa remittens
 inueniat Deus ingratos, quibus ipsa remisit,
 ut redeunt, quorum non est hic poena peracta,
 et, qui deliquit, moritur, tormenta Gehennae
 4925 passurus propter culpam post illa patratam:
 quae redeunt, ut eis non desit debita poena,
 quae redeunt, ne uel partim linquantur inulta,
 quae redeunt, ne sit sine culpa poena Gehennae,
 quae poenas numquam tollit sed atrociter auget,
 83r in qua non poterit post culpam poena manere,
 uerum tam culpa fiet quam poena perennis.
 Sic idem redeunt non actus, immo reatus,
 non numero, uerum specie, quantique priores,
 nec specie semper idem, ne sint in eodem,
 4935 quae sunt aduersa, ne prodigus extet auarus;
 si fuerint minima dimissa, redire minora
 non poterunt, durumque esset maiora redire.
 Quae rediit culpa, non est commissa secundo,
 sed per commissam culpam contracta sequentem:
 4940 culpa sequens causa reditus fuit ante remissae:
 inde duo peccant aequaliter ex pare causa,
 plus tamen ex reditu culparum fit reus alter;
 sic, quamuis paria sint uulnera, par quoque causa,
 quod duo laedantur pariter, non prouenit inde.
 4945 Culpae, quae rediit, quamuis extrinseca poena
 sufficeret, tamen interior contritio cordis
 non duratura nec suffecisse uidetur,
 quando, qui lauit contrito corde reatum,
 ut canis ad uomitum rediit spretaque salute

4918 I Ioh. 2,11.

4920-25 Matth. 18,32-34.

4944 sch. Prouerbium.

4949 II Petr. 2,22; Prov. 26,11.

- 4950 conceptum fregit uotum peccata cauendi.
 Si decessisset contritus, quando peregit
 poenas, quas meruit pro culpis, ante ruinam,
 ad permansura transisset gaudia caeli;
 in noua peccata ruiturus non tamen ex tunc
 4955 sufficienter erat punitus (sicut adeptus
 esset praescitus caelorum gaudia, quando
 uirtutum lumen habuit, si mortuus esset,
 non tamen ipsius uirtutum gratia semper
 duratura fuit, flatu exsufflanda reatus);
 83v immo, peccato causam praestante recenti
 sicut culpa uetus rediit, licet ante remissa,
 sic et cum culpa poenae uindicta reuersa est,
 cum nullam culpam Dominus patiatu inultam.
 Non in id ipsum sic Dominus bis iudicat, et non
 4965 contra scripturam surgit tribulatio duplex.
 Ut redeant merita uelut est noua gratia causa,
 ut redeant culpa sic est occasio culpa:
 ante bonus semper cadat ac in morte resurgat,
 augebunt eius bona quaeque priora coronam;
 4970 ante iacens surgat, post mortis corruat hora,
 augebunt eius mala quaeque priora flagellum;
 ante malus semper exurgat per breue tempus
 decedatque malus, torquetur amplius illo,
 quem solo maculat in uitae fine reatus.
 4975 Sunt alii, quibus haec sententia dura uidetur,
 censentes, quod ob hanc causam peccata redire
 tradat scriptura, quod, cui dimissio facta
 est peccatorum, si post committere culpas
 audeat ingratus, reddatur tam reus, ac si
 4980 ipsi nulla prius peccata remissa fuissent.
 Quanta sit inuidiae labes, cognoscitur, ex quo
 alterius donis aegrescens inuidus ipsi
 Spiritui sancto, cuius sunt dona, repugnat
 persequiturque nimis audax ob dona datorem
 4985 donorum, quasi non prudenter dona dedisset;
 in quem commissum peccatum teste Iohanne

4971 flagellum *RI*: flegellum *Rac*

- sic est ad mortem, quod non oratio prosit;
 quod nec in hoc saeclo nec, Christo teste, futuro
 dimittetur. Nam reus huius criminis, etsi
- 84r nequitia cordis cogatur prodere crimen,
 non implorabit contrito corde salutem,
 implorare licet possit ueniamque mereri;
 (quem Deus ad uitam uitae praedestinat auctor,
 damnari poterit, sed non damnabitur umquam.)
- 4995 Quatuor in Pneuma sacrum peccata patrari
 scripturae reserant; tamen appellatio talis,
 si sint cessura ueniae, non congruit illis:
 quodlibet ipsorum facit incontritio iuncta
 finalis tale peccatum, non tamen ipsa
- 5000 peccatum est aliquod, sed circumstantia quaedam
 noxia peccati, qua debet quisque carere;
 sic non est uirtus, sed circumstantia quaedam
 ipsius, oppositum, quod quisque tenetur habere,
 ne sinat extingui uirtutum aliquando lucernam.
- 5005 Sic peccat, qui more Cain desperat, et is, qui
 praesumit sicut Origenes, qui face feruens
 inuidiae nocuis impugnat flatibus illam,
 quae fratri collata relucet gratia, quique
 impugnans, quod opus uere patet esse salutis,
- 5010 lingua liuoris affirmat Daemonis esse.

4988-89 Matth. 12,31-32; Marc. 3,28-29; Luc. 12,10.

4993 *sch.* Haec est

duplex 'possibile est praedestinatum damnari'.

4995 *sqq. sch. in calce paginae*

pecca-
 tum in
 spiritum
 sanctum

Obstinatio. Huius duplex est causa: praesumptio, desperatio. Ideo diuiditur in praesumptionem et desperationem. Praesumptione peccat qui iustitiam dei nimis attenuans plus iusto de eius confidit bonitate, ideo peccatis peccata superaddens. Desperatione peccat qui nimis timet iustitiam dei plus iusto eius attenuans [[gratiam]] misericordiam, putans eam excedi peccati sui magnitudine.

Impugnatio gratiae. Haec diuiditur in impugnationem ueritatis agnitae, 'ut Iudaei' scientes Christum operari uirtutes in deo dicebant, quia in Beelzebub principe daemoniorum ciciebat daemonia. Sic etiam peccant omnes haeresiarchae. Et inuidiam gratiae proximo collatae. Hac peccant omnes qui fratribus inuident, quia spiritus sanctus contulit eis bona uirtutum, uel quod aliis quam sibi.

5005 Gen. 4,13-14.

- Sed quantumcumque quisquam quocumque modorum
istorum peccet, poterit clarescere luce
uirtutum, culpae tenebrosa nocte fugata:
fit de crystallo pascens buccella fideles,
5015 peruersosque Deus, maris inuolente profundo,
conuertit, uinctos educit fortiter et qui
asperitate tonant linguae foetentque sepulcris.
Non de uiuente propter quemcumque reatum
est desperandum, quia, quantumcumque reatus
84v sit grauis, est Domini semper clementia maior;
quare de nullo quisquam uiuente scit, utrum
in sacrum Pneuma peccet, quia nemo scit, utrum
sordens peccato sit decessurus in illo.
Non in Pneuma sacrum peccauit liber ab omni
5025 culpa decedens; haec appellatio culpae est,
non quae difficile uel uix, sed quae semel orta
numquam soluetur hoc saeclo siue futuro,
ut tradit summi sententia uera magistri.
Nec solis proprium praedictis quatuor haeret,
5030 ut non de facili sed uix subiecta relinquunt:
uictus auaritia uix sparget munera uictor;
seruando seruus uix dando liber; auarus
uix largus fiet, lucra conquisita refundens;
uix solui poterit a consuetudine uinctus,
5035 a culpae morte uix surget, Lazarus alter,
quem reprimit firmae petra consuetudinis, a quo
tamquam iam putri procedit opinio foeda.
Quare peccetur praedictis quatuor et non
pluribus in Pneuma sacrum, cum pluribus aequae
5040 uiscosis detur uix indulgentia, fiat
crebro finalis comes incontritio cordis,
nobilis ingenii praediues uena reuelet;
me fateor clauae clausum reserante carere.
Ut Patris et Prolis et sacri Pneumatis unus
5045 est honor, una trium sic est offensa, nec in quem

5018 quemcumque *A*¹, *Gz*: quamcumque *R*

5042 uena *RI* (u *supra* p *expunctam*); pena *Rac*

5014 Psalm. 147,17.

5015-16 Psalm. 67,23.

5016-17 Psalm. 67,7.

5024-28 Matth. 12,31-32; Marc. 3,28-29; Luc. 12,10.

5035-37 Ioh. 12,1-11.

istorum peccat aliquis, quin peccet in omnes,
 si large uerba sumantur: quando potestas
 strictius aptatur Patri, sapientia Proli,
 Spiritui sancto bonitas, distinguitur in tres
 85r personas inter totidem peccata patrata:
 in Patrem peccat infirmo corpore uictus;
 in Prolem, cuius parit ignorantia culpam;
 in sacrum Pneuma, qui peccans corde maligno
 nil habet, unde suum queat excusare reatum;
 5055 hinc ipsi ueniam censent plerique negandam.
 Aduersus Prolem facit ignorantia simplex,
 non quam contemptus generat mandata sciendi,
 aut de qua nulla uenit excusatio culpae;
 hinc non ad Prolem sed sacrum Pneuma refertur
 5060 quamuis errantis Origenis fellea culpa.
 Sicut Adam primum, sic est aggressa secundum
 inuidiae pestis: ut mors intrauit in orbem
 terrarum primo Satanae liuore ruente,
 sic est naturae mors procurata secundo,
 5065 quando per inuidiam passus fuit in cruce Christus;
 haec utrumque Ioseph inuasit bestia: Christum
 a Patre dilectum plus iustis omnibus, et quem
 Iacob maiori quam fratres fouit amore;
 hoc ceto Ionas absorptus erat, sed eodem
 5070 redditus inuito post cepit gaudia uitae.
 Inuidiae pestis obscurat mentis ocellos,
 sensum mordet, cor depascit, pectus adurit,
 corpus corrumpit, animas interficit, ossa
 debilitat, linguas exasperat, efferat iram
 5075 et sic auctorem crucians fit criminis ultrix;
 nunc aliena bona tabescens abrogat, et nunc
 derogat incrustans, quae non est ausa negare;
 crebro mentitur, quod uerae luce coruscat
 uirtutis, falso uirtutis habere colorem;

5068 fouit *RI s.l.: om. Rac* || amore *Rpc: amorem Rac*

5049 *sch.* Appropriata sunt et non propria. 5061-62 I Cor. 15,45. 5062-
 63 Sap. 2,24. 5065 Matth. 27,18; Marc. 15,10. 5068 Gen. 37,4.
 5069-70 Matth. 12,40. 5069 Ion. 2,1-11. 5076 Sap. 6,25.

85v claros obscurat, celebres infamat, honestos
deturpat, culpat insontes, denigrat albos,
rumpit amicitias, dissoluit foedera, pacem
proscribit, lites procurat, iurgia tractat.

LIBER IX

- In primi patris carnem corruptio iusto
 5085 uenit iudicio; iuste uitata rebellis
 spiritui facta est caro, quando soluere iussum
 praesumpsit seruus Domini, factura Creantis.
 Illa fuit primae carnis corruptio causa,
 quare de carne non absque libidinis aestu
 5090 post hominum coitu noua produci caro posset.
 Hinc concepta caro foedata libidine tali
 infusam foedat animam foetore reatus,
 qui recte culpa censetur originis, ex quo
 peccatum primi patris fuit eius origo,
 5095 et quia culparum praecedat origo sequentum.
 Est etiam culpa tantum, non poena; sed inde
 censetur poena, quamuis non sit, quia poenam
 semper habet sociam. Diuersa uocabula propter
 causas sortita diuersas, dicitur inde
 5100 fomes peccati, quoniam uenialia saltem
 suscitatur in nobis peccata, sed inde tyrannus
 carnis, quod, siue nolimus siue uelimus,
 primos in nobis motus producat, et inde
 languor naturae, quia naturalis ab ipso
 5105 ad facienda bona persaepe potentia languet
 in nobis; inde lex membrorum, quia quadam
 nos ad peccandum procliues lege coartat.

5091 concepta *RI*: contempta *Rac*

5084 *sch.* (corruptio) Nota: multiplex corruptio. 5092 *sch.* Obiectio. 5093
sch.s.l. (qui recte) Reatus siue (? — *haec glossa erasa est*; reatus *satis certe legitur, sed de siue*
dubitari potest). *sch.s.l.* (originis) Id est originalis. *sch.s.l.* (ex quo) Quasi passiuè tenetur
(haec glossa erasa est; cf. 5094). 5094 *sch.s.l.* (origo) Quasi passiuè tenetur.
 5095 *sch.s.l.* (origo) Actiue. 5097 *sch.* Quandoque (*ad censetur referendum*).
 5098 *sch.s.l.* (diuersa) Culpa dico. 5099 *sch.s.l.* (inde) Ideo. 5101 *sch.s.l.*
 (inde) Ideo. 5103 *sch.s.l.* (inde) Ideo. 5105 *sch.s.l.* (inde) Ideo.

Et, licet in uires animae processerit omnes
86r tres uitium, tamen ipse reatus originis, unus
 5110 existens, tantum nomen sortitur ab una,
 uisque cupiscibilis corruptio dicitur esse
 (quae tamen est poena, sed coniunctissima culpae),
 uel quia uis huius forte est corruptio maior,
 uel quia peccatum patrat crebrius ista
 5115 quam reliquis, uel eam sociam consuevit habere
 istius mater peccati, foeda libido;
 ipsa quidem culpam transmittit originis in nos.
 Nec tamen est culpa maior, si quando libido
 maior, sicut aqua non idcirco, quia maior,
 5120 quicquid contingit magis humectare probatur,
 nec semper maior magis urit quam minor ignis.
 Hinc, nisi praecedat coitus maculeque libido
 carnem, cui infundat animam Deus, ipsa reatum
 istum de carne tali non contrahet in se,
 5125 munda manens; primos tamen euitare nequibit
 motus, gignendos infirmae fomite carnis.
 A quo languore legitur mundata fuisse
 sola caro Christi, dignissima munere tali,
 ne possent in ea uel primi surgere motus;
 5130 ex animae reditu non incurrisse reatum
 Lazarus asseritur, nec post peccasse negatur
 motibus ex primis, quos euitare nequimus.
 Ex praecedenti producta libidine labes
 haerens materiae conceptae dormiet, omnis
 5135 expers effectus, donec quasi mota creatam

5115 eam *R1 s.l.*: etiam *Rac*

5119 iccirco *R2*: initio (?) *Rac*

5130 ex *R2*: x *Rac* (i.e. litteram E, quam rubricator appingere oblitus erat, add. *R2*)

5110 *sch.s.l.* (una) Uis scilicet. 5112 *sch.* (quae) Uis cupiscibilis. 5117 *sch.s.l.*
 (ipsa) Uis cupiscibilis. 5118 *sch.* Uidetur quod derogetur loco a causa. 5121
sch. Ignis in quadam materia plus urit et in quadam minus. 5122 *sch.s.l.* (Hinc)
 Ideo. 5123 *sch.s.l.* (ipsa reatum) ad (?) + *v-vii litterae illegibiles* (haec glossa erasa
 est). 5127-28 *Matth.* 1,18; *Luc.* 1,35; *Ioh.* 14,30. 5127 *sch.* (languore) Id est
 a primis motibus ad peccandum. 5129 *sch.s.l.* (motus) Ad peccandum.
 5133-34 *sch.s.l.* *Signis appositis labes cum dormiet iungendum esse indicatur.* 5134
sch.s.l. (omnis) Genetiui casus.

- infusamque animam maculet foetore reatus:
 sic coeno baculus infixus suscitatur ante
 suppressum ipsius foetorem et contrahit in se;
 86v nil agit hinc anima, nihil hinc baculus, sed uterque
 5140 inficitur, licet ille luto, licet illa reatu;
 a coeno remanet extractus foetor in illo,
 uisque cupiscibilis uitium perdurat in illa;
 alter sicut olet coenum, sic altera carnem,
 ut uitium uasis uinum consueuit olere.
- 5145 Non animae placet infundi neque displicet, omni
 affectu motuque carenti, quando creatur.
 Si de corruptae gauderet carcere carnis,
 si uellet corpus immundum sponte subire,
 si consentiret foetori corporis, esset
- 5150 ipsius primi certissima causa reatus,
 quem non contraheret tantum de corpore foedo,
 sed delectando prae committeret ultro;
 at si respueret foedae contagia carnis,
 si defoedantem nollet contingere labem,
- 5155 inuitae fieret uiolentia, quodque-coactae
 inferret Deus, in culpam reputaret eidem,
 et sic peccati Deus esset et auctor et ultor,
 quod, uelut absurdum, sic falsum noscitur esse:
 unde animam neque uelle luto carnis neque nolle
- 5160 infundi, motus expertem, constat in ortu.
 Corporibus puris animas infunderet Auctor
 puras, si pura mansissent corpora, nulla
 peccati labe, nullo corrupta reatu;
 nec, quia primus homo corrupit sorde reatus

5139 nihil: nichil *Rpc*: nil *Rac*

5144 uitium *RI*: uicium *R2*

5148 immundum *RI*: mundum *Rac*

5153 at *Gz*: ac *R*

5140 *sch.s.l.* (ille) Baculus. *sch.s.l.* (illa) Anima.

5141 *sch.s.l.* (ille) Baculus.

5142 *sch.s.l.* (cupiscibilis) Intransitiue. *sch.s.l.* (illa) Anima. 5143 *sch.s.l.* (al-

ter) Baculus. *sch.s.l.* (altera) Anima scilicet. 5145 *sch.* Quorumcumque alte-

rum poneretur, sequeretur inconueniens. 5150 *sch.* Inconueniens primae partis.

5153 *sch.s.l.* (ac) Pro 'sed' uel pro 'et'. 5157 *sch.* Inconueniens secundae

partis. 5159 *sch.* (Unde) Concludit primum. 5164-69 *sch.s.l.* *Signis appositis*

nec cum debuit iungendum esse indicatur.

- 5165 materiam puram, sic efficiens, ut ab ipsa
 infecta si qua prodirent, inficerentur,
 inde a proposito, de quo procedere posset
 utilitas tanta, rerum cessare Creator
 87r debuit, ut nullas animas infunderet ultra
 5170 uasis corruptis, de quorum labe reatum
 ipsas contrahere, cognoscens omnia, sciret.
 Quam labem carnis constat non esse reatum,
 cum nullus maneat in sola carne reatus;
 sed nec erit poena, quamuis dicatur, adusque
 5175 sentiat illatum caro uiuificata flagellum;
 sic nec erit poena, sed dicitur, ignis, adusque
 immittatur ei, quod poenam sentiat ignis.
 Sed cum transierit, cum sit finita libido,
 de qua processit haec labe, qualiter haerens
 5180 conceptae carni, sine peccato sine culpa
 infundens mortis uirus, quod non habet in se,
 mortali faciet animam, non ante creandam
 quam coniungendam carni, sordescere culpa,
 quam nec consensus animae pariet, sine tractu
 5185 temporis infusae, nec delectatio carnis?
 Econtra nullus pruritus, nulla libido,
 tantum spes prolis, quae sperneret idola uana
 uniusque Dei cultrix existeret, almos
 induxit patres opus exercere mariti;
 5190 quare sanctorum coitus sacer extitit actus.
 Iussio praeterea cogit diuina maritum
 reddere, quod debet, uxori, si petat uxor;
 quare, si reddat exactus amore iubentis,
 solius intuitu cogentis reddere iussus,

5188 almos R2: .lmos Rac

5172 *sch.* Labes siue fomes in carne, reatus in anima uel in toto <homine est
 Gz>. 5174 *sch.s.l.* (adusque) Donec. 5176 *sch.s.l.* (poena) Ignis. 5179 *sch.s.l.*
 (labes) In carne. 5181 *sch.* Infundit aequiuoce. 5182 *sch.* Quia simul creatur
 et infunditur. 5183 *sch.s.l.* (culpa) Reatu. 5186-96 Corp. iur. canon. C.
 XXXII, qu. II, c. 1-2 (ed. Friedberg, vol. I, col. 1119-20). 5186 *sch.* Uidetur sibi
 contrarius. Solutio: quoad iudicium. 5187 *sch.* Ponit intentionem. 5190
sch.s.l. (sacer) Propter intentionem. 5191-92 I Cor. 7,3. 5193-94 Os. 1,2-3.
 5193 *sch.s.l.* (iubentis) Uxoris.

- 5195 eius concubitus meritorius esse probatur,
 omnis pruritus omnisque libidinis expers.
 A supradictis haec discordare uidentur,
 cum non in carnem possit transferre reatum,
 87v quae non praecessit, quae non fuit ante libido.
 5200 Sed quamuis coitus uitae quandoque perennis
 propter praedictas causas meritorius extet,
 praesentis dono productus Pneumatis almi,
 non exercetur tamen absque libidine, non fit
 absque uoluptate, cui Spiritus almus adesse,
 5205 cum sit peccatum, quamuis ueniale, negatur,
 quamuis intendat operi sacer atque propheta.
 Coniugii sacri sic sacrum uisitat actum
 et foedum transit prurimum Spiritus almus,
 ut mundo faueat, immundo nolit adesse,
 5210 mundum concubitum producat et approbet, eius
 immundo socio nolit praestare fauorem.
 Quare per coitum Christus de semine nasci
 noluerit, coitus in causa non fuit, immo
 ipsius coitus comes indiuisa libido,
 5215 cum nullus coitus queat absque libidine, praeter
 prurimum fieri, quamuis sanctissimus ob spem
 euadat subolis Dominiue iubentis amorem.
 Nullius culpaе, rerum quarumlibet auctor
 praecipit hoc fieri, quod numquam fit sine culpa;
 5220 non sordescit opus in se, quod praecipit, etsi
 semper sordescat operi coniuncta libido.
 Non animas cessat Deus inde creare, quod ipsas

5196 libidinis *R(1)*: libidines *Rac*

- 5196 *sch.* Quoad iudicium. 5198 *sch.* Posito quod concipiat. 5200-11
 Corp. iur. canon. C. XXXII, qu. II, c. 4 (ed. Friedberg, vol. I, col. 1120-21).
 5201 *sch.* Scilicet propter duas causas praesignatas. 5203 *sch.* Contra.
 Contra. 5204 *sch.s.l.* (cui) Uoluptati. *sch.s.l.* (adesse) *Signis appositis hanc uo-*
cem cum negatur (5205) iungendam esse indicatur. 5206 Os. 1,2-3. *sch.s.l.* (sa-
 cer) Quicumque. 5207 *sch.* Quoad intentionem. 5208 *sch.* (transit) Non
 attendens propter bonam intentionem. 5213 *sch.* Nota. 5217 *sch.* Ponit
 duas supradictas causas. 5219 *sch.* (hoc) Id est concubitum fieri propter praedictas
 duas causas. *sch.* Quia libido ipsum semper comitatur (*ad quod — culpa*
referendum). 5222 *sch.s.l.* (inde) Ideo. *sch.* (quod) Quamuis.

- culpas contrahere sciat omnes, quando creantur,
 quas non immundas facit ipsa creatio munda,
 5225 sed magis immundae celeris coniunctio carnis;
 non tamen infundens, sed eas foedat caro foeda.
 Sic Dominus iubet, ut suboles et ut uxor ametur,
 quas uix absque leui culpa contingit amari;
 88r non, quia praecipitur, quod non sine sorde reatus
 5230 quis complere potest, quisquam peccare tenetur,
 sicut, qui missam populo cantare tenetur,
 non linguam, sine qua non cantat, habere tenetur.
 Quem trahit ad coitum tantum petulantia carnis,
 eius concubitum culpaе mortalis ab igne
 5235 uirtus excusat sacramenti, licet omnem
 scintillam nequeat uenialis pellere culpaе,
 quamuis per talem reus excludatur ab aede
 sacra concubitum; sed canon non iubet, immo
 consulit hoc fieri, non propter coniugis ulla
 5240 mortalis culpaе labem, sed propter honorem
 ecclesiae sacrae, si non praesumeret ipsam
 mundam pollutus foeda contingere carne;
 sed nec ab ecclesia mortalis quemque reatus,
 immo pastoris sententia separat, ut uel
 5245 emendet sponte uel poenam sentiat is, qui
 culpa corrigere contemnit corde superbo. -
 Quando uoluptatis causa cognoscitur uxor,

5228 quas *R(2)*: qu.. *Rac*

5235 uirtus: ab igne *add. & exp. R1*

5243 eccl(esi)a *R1*, *expuncta a supra alteram c*

5244 sententia *R1*: septentia (?) *Rac*

5233-46 Corp. iur. canon. C. XXXIII, qu. IV, c. 6 (ed. Friedberg, vol. I, col. 1248-49). 5233 *sch.s.l.* (petulantia) Id est pruritus. *sch.* Et non alterum duorum praedictorum, scilicet. 5234 *sch.* Id est a tormento quod debetur culpaе mortali; uel ab igne qui est mortalis culpa, ut sit intransitio inter ablatium et genitios; culpa enim mortalis ignis dicitur. Hanc expositionem uult sequens littera. 5235 *sch.s.l.* (sacramenti) Matrimonii. 5237 *sch.s.l. erasum* (talem) Coitum (?). *sch.s.l.* (aede) Ecclesia. 5238 *sch.s.l.* (iubet) Excludi. 5243 *sch.* Nota. 5247-55 Corp. iur. canon. C. XXXII, qu. IV, c. 5 (ed. Friedberg, vol. I, col. 1128-29). 5247 *sch.* Istud est grauius peccatum quam iam dictum.

- quatenus ex coitu prius affectata libido
 surgat et inducat satiem completa uoluptas,
 5250 uxoris propriae nimis immoderatus amator
 mortali culpa lapsus censetur adulter.
 Non in re licita licet insanire: redundat
 in uitium nimius excessus, quicquid agatur.
 In propria nimius coitus sic turpis habetur,
 5255 sicut quilibet in aliena coniuge turpis;
 unde uoluptates, quae de meretricis habentur
 amplexu, solius amore libidinis ortas,
 asserit in propria damnatas coniuge canon.
88v Propter coniugium tamen excusatur adulter
 5260 sordidus, ut poenam uenialis perferat et non
 culpae mortalis, ut adulterii sit adulter
 a poena liber, non defoedante reatu,
 ut non ecclesia sed tantum sit Deus ultor.
 Propter coniugium non sic ignoscitur, ut non
 5265 mortalem culpam possit committere coniunx
 prauo concubitu, sed, quantuscumque reatus
 excessus fuerit, ne debita poena uel aequa
 ultio mortali peccato digna sequatur.
 Propter coniugium datur indulgentia poenae,
 5270 non culpae, quando spreta ratione maritus
 ardet in uxore complere libidinis aestum.
 Quamuis pectoribus sententia sederit alti
 sensus, magnorum tamen est priuata fauore;
 sicut nescitur, quorum sapientia maior,
 5275 sic latet, ad quos sit maior respectus habendus:
 quare pensentur rationum pondera tantum,
 non attendatur, quis cui praeponderet auctor,
 quippe reuelantur crebro maiora minori.

5251 *sch.* Nomine uel quasi adulter. *sch.* Nota quidam dicunt quod uere est
 adulter, alii dicunt quod est quasi adulter. 5253 *sch.* Proverbium. 5256-
 58 Corp. iur. canon. C. XXXII, qu. IV, c. 14 (ed. Friedberg, vol. I, col. 1131).
 5259-71 Corp. iur. canon. C. XXXII, qu. II, c. 3 (ed. Friedberg, vol. I, col. 1120).
 5259 *sch.* (excusatur) Ab ecclesia militante. *sch.* Una opinio dicit quod uere
 adulter est, et tamen licet peccet mortaliter, tamen non punietur nisi uenialiter pro
 illo mortali. Quidam dicunt quod peccat uenialiter tantum, et ita uenialiter
 punitur. 5266 *sch.s.l.* (reatus) Genetiui casus. 5270 *sch.* Nota. 5272
sch. Accedit ad soluendum praedictas opiniones.

- Quod pro mortali ueniali debita poena
 5280 debeat imponi, ratione carere uidetur,
 cum grauitas culpae soleat leuitate flagelli
 nutriri, si non timeatur noxia culpa,
 quam castigare numquam solet ultio digna.
 Quare sic nullum coitum cum coniuge, qui non
 5285 debita transcendat naturae limina, quidam
 mortale censent, ut nullum punit amara,
 mortali tantum peccato debita, poena.
 Nec, quod adulterii crimen committat, adulter
 89r dicitur, immo quia simili se polluit actu,
 5290 a quo non specie facti, non pectoris aestu,
 sed solo differt peccato uerus adulter:
 hunc sacramenti uirtus excusat, et illum
 fortius accusat positae transgressio legis.
 Cum meretrice minus et plus cum coniuge peccat,
 5295 qui non concessis membris praesumit abuti
 et foede contra naturam soluere renes;
 qui falsum iurat per Platen, iure reatum
 maiorem incurrit, et, qui per plasma, minorem:
 cui debetur amor maior, reuerentia maior,
 5300 maiorem reddit illata iniuria culpam.
 Omnes dicuntur in primo patre fuisse,
 omnes peccasse, quia materialis origo
 primus homo, carnem corruptus labe reatus,
 labem contractam subolem transmisit in omnem.
 5305 Durat in arboribus productis omnibus ortum
 in producente uitium quodcumque saporis:
 qualem contraxit producens arbor, amarum
 uel dulcem, seruat arbor producta saporem.
 Sicut erat primus homo prolis origo futurae,
 5310 sic eius culpa culparum prolis origo;
 sed qualis causa protoplasti culpa sequentum
 culparum, qualis occasio, qualis origo

5289 immo *RI*: ? *Rac*

5286 *sch.* Unde sicut non peccat mortaliter, sic nec punitur nisi uenialiter.

5291 *sch.* Id est qui uere adulter est. 5292 *sch.s.l.* (excusat) A mortali. 5294

sch. Nota. 5301 *Rom.* 5,12. *sch.* Communis (cummunis *R*) opinio.

5303 *sch.s.l.* (carnem) Secundum. *sch. erasmus* Scilicet quoad.

extiterit, liquido per praecedentia lucet.

- Quod sine consensu peccatum contrahat infans,
 5315 est rationis inops sententia uisa quibusdam;
 quorum iudicio propter peccata parentum,
 a quibus in totam fluxit corruptio prolem,
 nascitur aeternis poenis obnoxius infans,
 89v non dignus, quia non meruit peccamine poenam,
 5320 nec tamen indignus, quia nullum punit inique
 contra iustitiam rerum iustissimus Auctor;
 quorum iudicio 'peccati' nomine tantum
 haec designatur obnoxietas, ubicumque
 uerax scriptura tradit, quod originis infans
 5325 peccatum prorsus consensus contrahat expers;
 quorum iudicio, sicut transgressio patrum
 saepius in subole punitur lege forensi,
 sic et contingit propter peccata parentum
 progeniem poenas diuina lege subire.
 5330 Sed, licet in uita praesenti culpa parentum
 perferat in subolem diuina lege flagellum,
 nulla lege tamen possunt peccata parentum
 aeternis barathri poenis addicere prolem.
 Nec solum poenam scriptura teste, sed una
 5335 cum poena meritum quoque poenae contrahit infans;
 quare, cum meritum poenae non sit nisi culpa,
 nemo negare potest, quin culpam contrahat infans.
 Zelo succensus Dominus, ne sponsa, fidelis
 cuiusuis anima, per crimen adultera fiat,
 5340 uisitat in subolem peccata parentis, adusque
 tertia uel quarta ueniat generatio, finem
 expectans uitae, quae tanto tempore durat,
 ut lapso parcat, si uiuens surgere curet,
 aut contemnentem, dum uiuit, surgere tanto

5313 exstiterit *RI*: ex..... *Rac* || *supra* liquido per precedentia haec add. *RI*: ,uel, reserat dictorum lucida clauis

5316 *sch.* Specialis opinio magistri Alani. (*Alanus ab Ins. Contra Haereticos I*, 40 (*PL* 210: 345C-46C); *Summa "Quoniam homines" II*, 173, ed. Glorieux, p. 317). 5330 *sch.* Solutio pro communi opinione. 5334-35 Psalm. 50,7; Rom. 5,12. 5334 *sch.* Confirmatio solutionis. 5338-41 Exod. 20,5; 34,7. 5338 *sch.s.l.* (Zelo) Amore. 5342 *sch.s.l.* (durat) Id est potest durare.

- 5345 igne Gehennali Deus ultor iustius urat:
 sic intellecta diuina lege subibit
 solus transgressor poenam, non filius eius.
 Aut patrum in culpis uestigia foeda sequentes
 90r uisitat in poenis Deus, omnis criminis ultor;
 5350 et, quamuis uitam prauorum tempore quouis
 sectantes Dominus zelotes uisitet omnes,
 lex tamen expressit cum certo tempore 'patres',
 cum patris mores, qui tanto tempore uiuet,
 praecipue soleat imitari filius eius,
 5355 affectetque patri se conformare propago.
 Non de contractis culpis exponere legem
 nos sinit ipsius contraria littera legis,
 affirmans odii genitos hausisse uenenum,
 quo caret omnino, qui culpam contrahit, infans,
 5360 quamuis hanc legem pater allegasse legatur
 Augustinus ad hoc, ut culpam contrahat infans
 non ab Adam primo cum prima coniuge tantum,
 sed praeter primos a progenitoribus ipsi
 iunctis, usque gradum numeret distantia quartum,
 5365 ne, si contraheret a cunctis, a quibus infans
 descendit, culpam, premeretur pondere culpae;
 sed fuit alterius, non eius, opinio talis,
 nec fuit assertor ipsius, sed recitator.
 Qui se in peccatis conceptum matre fatetur,
 5370 quod duplex fieret conceptio, nouerat, una
 seminis in carnem, naturarumque secunda,
 quando animam uitiat sociae corruptio carnis;
 non ignorauit ab Adam se Daud et Eua,
 non aliis, unum solum traxisse reatum,
 5375 a quibus exortum uitium manauit in omnes,
 tabificans genus humanum generaliter omne.
 Non, quod contrahitur, peccatum maius in uno
 et minus est alio, sed in una transit in omnes

5369 conceptum: a *add.* Gz

5359 *sch.s.l.* (quo) Ueneno. 5360-68 Aug. Ench. 46-47 *apud* P. Lomb. II, 33,2,2-3. 5369 Psalm. 50,7. 5377 *sch.s.l. erasum* (quod) A pri (*hoc sch. imperfectum postquam erasum est, sequens in mg. scriptum est.*) *sch.* (quod contrahitur) A primis parentibus. 5378 *sch.s.l.* (alio) In.

- 90v mensura, cuius in primis patribus una
 5380 praecessit causa, corruptis patribus omnem
 corrumpens pariter subolem quandoque futuram.
 Cum tantum culpa contracta sordeat infans,
 quamuis aequentur infantes sorde reatus,
 non tamen aequantur in poenis: mitius unus
 5385 in poena mortis torquetur, acerbius alter;
 sed paribus culpīs infantum, quatenus extant,
 aequales poenae quoque respondent; sed earum
 prouenit excessus propter peccata parentum.
 Uerum conspectu Domini sine fine carebit
 5390 quilibet in poena cum culpa mortuus infans,
 nec maiore tamen torquebitur inde dolore,
 qui meliora prius naturae dona recepit;
 ob potiora bona post mortem nullus habebit
 maiorem forsā in naturalibus usum;
 5395 de damno aequali plangent aequaliter omnes.
 Quamuis tollatur sacro baptisinate culpa,
 morbidus affectus remanens in carne, tyrannus
 carnis, naturae languor, contraria suadens,
 ut stolide redeat in culpae uincla solutus
 5400 et coenum repetat lotus, uiolentius urget,
 in nolente potens etiam producere primos,
 quamuis nolentis peccata leuissima, motus:
 nec primus motus est euitabilis irae,
 nec quis uel leuiter ualet irasci sine culpa.
 5405 Reddit utrique fidem scripturae assertio sacrae.
 Unde malum culpae Paulus, licet oderit, egit?
 (quippe malum poenae non odit apostolus, immo
 dilexit potius, quo certius utile nouit.)
 Ob primum motum Paulus, quod noluit, egit,
 91r non quod noluerit, quod primus motus adesset,
 cum primus motus sit ineuitabilis, hocque
 constaret Paulo, quod eum uitare nequiret;
 sed nec consensit nec delectando probauit.

5379 *sch.s.l.* (cuius) Mensurae. 5382 *sch.* (culpa) Nota. 5387 *sch.s.l.* (earum)
 Poenarum. 5388 *sch.s.l.* (parentum) Propriorum. 5394 *sch.* Dicit 'forsan',
 et ideo non definit. 5402 *sch.s.l.* (leuissima) Sunt. 5406 Rom. 7,15-23;
 Gal. 5,17. 5407-08 Rom. 5,3; II Cor. 11,23-30; 12,5-10. 5408 *sch.* 'Quo' id
 est 'quia'.

- Non excusauit pater Augustinus ab omni
 5415 culpa, sed tantum mortali, qui sine sponte,
 quem uitare nequit, inuitus perpetrat actum;
 non Augustinus ueniam sed negat esse
 mortalem, quicquid fit ineuitabile, culpam.
- At tamen, ut culpa sit primus motus, oportet,
 5420 ut trahat ad culpam surgatque a fomite culpae.
 Sic ad moechandum primus de fomite motus
 exsurgens, quamuis sibi conciliare fauorem
 mundi non ualeat cordis, non est sine culpa;
 ortus ad uxorem cognoscendam est sine culpa
 5425 motus, quando sine culpa cognoscitur uxor.
 Exsurgens motus, ut mors uitetur amara,
 quando parit culpam mortis uitatio, non est
 peccatum, quia non oritur de fomite culpae
 (in Christo siquidem, quem quidam mortis atrocis
 5430 horror turbauit, de fomite non fuit ortus,
 cum nullus fomes in Christi carne fuisset),
 sed de natura, non tali, qualis ab ortu
 ingenerata fuit protoplastis ante ruinam,
 sed tali, qualis per culpam facta remansit;
 5435 ne culpam poena praecederet, ante ruinam
 nequaquam primi poterant horrere parentes
 mortem, quam Christus expauit tempore culpae,
 qui numquam potuit aliquam committere culpam.
- Sunt primi tantum peccata leuissima motus,
 5440 quamuis ex culpae mortalis origine surgant:
 91v quando uoluptatis rea procuratio culpae
 mortalis primos motus producit ad actum
 carnis patrandum, quamuis praecedat origo
 mortalis culpae, non, quos producit, oportet

5432 ab *Rac*: ob *Rpc*

5414-18 Aug. De Lib. Arb. III, 18,172-76 in *Retract.* I, 9,5. (PL 32: 598) *apud* P. Lomb. II, 36,5. 5417 *sch.s.l.* (non) *Negat.* 5420 *sch.s.l.* (trahat) *Hominem.* 5422 *sch.* Id est quamuis non fiat consensus, non tamen est sine culpa. 5424 *sch. erasum in mg. sin., quod legere nequiuimus* ("contra autem uel simile quid fuisse uid." *Gz*). 5425 *sch.* Duobus modis scilicet, ut supra. 5428 *sch.* (oritur) Scilicet uitatio mortis. 5429-30 *Matth.* 26,38; *Luc.* 22,43; *Ioh.* 12,27; *Hebr.* 5,7.

- 5445 mortales culpas primos existere motus,
 ne, qui uitari nequeunt, occidere possint,
 praesertim ad uitam contrito corde reuersum.
 Non ex arbitrii quis libertate mouetur
 motibus his primis, ex quo sine sponte mouetur
- 5450 nullum prorsus habens, quod non uult, posse cauendi;
 non irascibilis uis primos suscitatur irae
 motus, qui nulla possunt ratione caueri,
 nec motus alios primos aliae quoque uires
 gignunt, sed uitia corruptis uiribus orta.
- 5455 Non primus motus prohibetur lege uetante,
 ne cupias, sed ei prohibetur adesse uoluntas.
 Quamuis peccatum nullum ueniale uetatur,
 hinc nullum est licitum, maculatum puluere culpae;
 nullum est illicitum, quod constat non prohiberi.
- 5460 Quamuis baptisma sacrum mortalia tollat,
 non animae maculas ueniales abluit omnes,
 si sine peccato mortalis nesciat esse:
 sic nubem patitur, noctem sol demit opacam;
 sic et uirtutum mater, dilectio, secum
- 5465 quae uenialia sunt patitur, mortalia pellit,
 quando animae tenebras illuminat ignis amoris.
 Non ueniale sine mortali pellitur, etsi
 pulso mortali crebro uenialia durent,
 ut nox, non nubes, solis splendore fugatur;
- 5470 et tamen est ueniale minus mortaleque maius,
 92r ut nubis caligo minor caligine noctis.
 Quamuis sint leuia quaeuis uenialia tantum,
 ut non ad minimi mortalis crescere possint
 mensuram, quamuis fuerint simul omnia iuncta,
- 5475 non ideo debent quasi non nocitura placere:
 quantumcumque leuis uenialis non leuis, immo
 est grauis et flammis contemptus dignus Auerni,
 ad Phlegethonta trahens mortalis pondere culpae.
 Quamuis hic leuia leuis emendatio tollat,
- 5480 si non tollantur, post purgabuntur in igne

5466 illuminat *Rpc?* (*littera a in ras., ut uidetur*)

5446 *sch.* (qui) Primi motus. 5448 *sch.* Nota.

5459 *sch.s.l.* (prohiberi)

Posse. 5480 *sch.s.l.* (tollantur) Hic.

- omnia praesentis uitae superante flagella:
 qui lignum, faenum, stipulam, uenialia tantum
 post mortem retinet, ab eis purgabitur igne,
 et sic saluus erit, Paulo testante, per ignem. -
- 5485 Quando fit in genere pure confessio, cuncta,
 quae non occurrunt animo, mortalia tollens,
 ad quas delendas animus non aduolat, instar
 baptismi maculas ueniales transuolat omnes;
 nec quia contemnit uenialia, praeterit is, qui
- 5490 mortales culpas contrito corde fatetur,
 sed quia non credit multum nocitura saluti:
 quare nec ueniae maculas obliuio delet,
 nec, quas mens recolit, contemptus ad infera mittit,
 sed quas non tollet prius hic contritio cordis,
- 5495 fortius exuret post purgatorius ignis.
 Ausus in aeterno proprio delinquere seruus
 aeterno Domini poenam sine fine subibit
 scriptura teste, non de uenialis harena
 sed de mortalis peccati mole loquente. -
- 5500 Ignorat tarda molimina Pneumatis almi
 92v insimul ex toto, non tractu temporis ullo,
 non successiue, consumens gratia culpam;
 successiua tamen est purgatoria poena,
 cuius quo maior pars transit, fit magis aptus,
- 5505 plus habilis, qui punitur, deponere culpam,
 donec post poenam finitam fiat in uno
 tantum momento dimissio plena reatus;
 sic, quamuis timor alliciat seruilis amorem,
 non intrabit amor, si non timor exeat ante.
- 5510 Hinc lignum, faenum, stipulam distincta probatur
 semper differre, cum non decrescere possint,
 donec tollantur, donec subiecta relinquunt.
 Nec mirum, maculas ueniales igne futuri
 purgandas saeculi, cum, quas ad Tartara defert
- 5515 qui cum mortali decedit, perpes aduret

5512 subiecta *RI*: subiecta *uel* subiecta *Rac*

5482 I Cor. 3,12.

5484 I Cor. 3,15.

5494 *sch.s.l.* (hic) In hac uita.

5500-02 *sch.s.l.* *Signis appositis* Pneumatis almi *cum* gratia *iungendum esse indicatur.*

5508-09 I Ioh. 4,18.

5510 I Cor. 3,12.

- tantum poenalis, non purgatorius, ignis.
 Cum numquam talis contritio cordis haberi
 possit in inferno, quae qualemcumque reatum
 delectat, allatas, ubi nulla redemptio, nulla
 5520 spes ueniae, nullus culparum finis habetur,
 aeternas maculas aeternus puniet ignis.
 Sic ratione loci uenialis culpa perennis
 efficitur, pariter cruciatu digna perenni;
 sic et mortali debetur poena perennis,
 5525 quam tamen in terris breuis emendatio soluit;
 culpas, quas nullus tractus dissoluit Auerni,
 contriti cordis breuis hic obliterat hora:
 sic uariat poenas uariatio facta locorum.
 In uita meruit puniri perpete poena,
 5530 quem iuste Dominus tormento punit Auerni;
 93r poenam pro culpa ueniali quisque meretur,
 sed quam, nescitur: praescitus quisque perennem
 saluandusque breuem, quae tandem desinet esse.
 Sed cum sensibile, cum materiale flagellum
 5535 attineat culpa ueniali, si sine fine
 duret in inferno, grauius ueniale uidetur
 mortali minimo, quod sola carentia uisus
 castigat Domini, minus aspera poena priore.
 Dixerunt quidam, quod non meritoria sed sit
 5540 aeterni meritum uenialis culpa flagelli,
 quam feret ad poenas aliquis praescitus Auerni;
 quamuis sit meritum, non est tamen apta perenni
 poenae directe per se sine mole reatus
 mortalis socia, per quem descendet ad Orcum;
 5545 sic, cui directe debetur poena Gehennae,
 si prius in uita detur contritio cordis,
 mortalem culpam breuis emendatio tollet.
 Dixerunt alii, quod, quamuis ad Styga possit
 deferri culpa uenialis, non tamen illic
 5550 puniri poterit aliqua poena sibi tantum
 respondente, sed in poena, quam culpa requiret
 mortalis, pariter eius punitio fiet;
 sic, licet in castro rex cuncta remuneret uno

5523 *sch.* (efficitur) Poena, non essentia.

- militis obsequia, nulli de pluribus, immo
 5555 iunctis respondet meritis retributio castris.
 Affirmant quidam, quibus haec absurda uidentur,
 quod non transcendant istam uenialia uitam,
 uerum praesciti mors deleat aspera poenas
 cum maculis, quamuis desit contritio cordis,
 5560 quae sine subsidio nulli praestatur amoris;
 93v quare, quod dicunt, ratione carere uidentur:
 saluandi morte dicunt generaliter omnes
 deleri maculas poenis quandoque retentis,
 5565 quas solas uret post purgatorius ignis;
 quorum iudicio crebro referuntur in igne
 purgari propter solas uenialia poenas.
 Sunt inter primum primo primumque secundo
 sic distinguentes, ut non prior, immo secundo
 primus sit culpa, cui delectatio carnis
 5570 noxia se miscet sociam non absque reatu;
 sed talis motus ex libertate uidentur
 prodire arbitrii nec ineuitabilis esse.
 Constat, quod culpa sit delectatio carnis
 non semper leuis et uenialis, sed grauis atque
 5575 mortalis, quandoque trucidis meritoria flammae
 Tartarae, quamuis desit consensus agendi:
 si delectandi consensus noxius assit,
 quem quid delectat animae letale, saluti
 aduersum, quamuis procedere nolit ad actum,
 5580 si delectari iocundum ducat, ut, etsi
 actio displiceat, sit delectatio grata,
 culpa mortalis est delectatio talis
 iuxta Augustinum uehemens, intensa, morosa.
 Cum sint diuersa, duo sunt peccata, uoluntas
 5585 ac opus, utroque coeno sordente reatus;
 non tamen exigitur, ut confiteatur utrumque
 factus utroque reus, sed solum sufficit actum
 uerbis exprimere, quia denudatio prauis
 actus efficit, ut nudetur praua uoluntas:

5577 *sch.* (si) Determinat quando delectatio carnis sit mortale peccatum absque
 consensu agendi. 5582-83 Aug. De Trin. XII, 12,17-18 *apud* P. Lomb. II,
 24,12,4.

- 5590 actu peruerso detecto praua uoluntas
94r detegitur, sine qua nullus peruertitur actus;
 peruersum reddit actum peruersa uoluntas,
 unde uoluntatem detectio detegit actus.
 Mortalem totiens committit quisque reatum
- 5595 contemptu, quotiens meminit nec paenitet ipsum
 culpae mortalis; sed quamuis tempore paruo
 sic infinitas poterit committere culpas
 mortales, minime tamen infinita tenetur
 quisquam, cum numquam possit, peccata fateri,
 5600 sed satis est bases et substramenta fateri
 et quanto flere contempsit tempore culpas.
 Quanto quis plura cumulat peccamina, tanto
 deterior Domini maiorem suscitatur iram;
 quando uoluntati prauae superadditur actus
- 5605 prauus, culparum prauarum sarcina crescit:
 esus Adae nocuit suboli, non sola uoluntas,
 unde uoluntati superaddidit actio culpam,
 hincque uoluntate sceleratior esse uidetur
 actus, propter quem grauior uindicta secuta est.
- 5610 Praeterea, quo plus durat peruersa uoluntas,
 amplius excrescit contemptus, cumque uoluntas
 actum praecedat, maior contemptus in actu
 maius peccatum tardum magis efficit actum;
 sed procedit opus contemptu non opus ipsum
- 5615 immo uoluntatem potius comitante priorem,
 unde uoluntati censetur par opus eius.
 In primo paria peccata parente fuerunt
 peruersum uelle, peruersus tardior actus;
 nec suffecisset ad tantam sola uoluntas
- 5620 poenam, ni culpa geminata fuisset in actu,
 quamuis totalis poenae pars cesserit uni,
94v pars alii culpae, compar omnino priori,
 cum cuius propria culpae sit debita poena.

5596 *sed nos: set Gz: et R*

5620 *ni RI: nisi Rac*

5600 *sch.s.l.* (et) Id est. 5606 *sch.* Probat quod dixit.
 temptu) Ex. 5616 *sch.* Quia permanens est et durans.
sch. (actu) Id est per actum.

5614 *sch.s.l.* (con-
sch. Nota. 5620

- Quantum foedat opus laicum, studiosa uoluntas
- 5625 presbyterum teste scriptura; sed magis actu
 prauo quam laicus delinquit presbyter: ergo
 presbyteri non est operi par culpa uoluntas;
 sed per 'opus' laici sumatur et ipsa uoluntas,
 ut sic presbyteri par fiat sola uoluntas.
- 5630 Utilior iusto plus semper sumptio prodest
 quam corpus Christi sumendi sola uoluntas
 ob sacramentum, cuius uirtute priores
 crescunt uirtutes, ualidum uirtutibus auctis
 confertur robur, decrescit poena reatus,
- 5635 non quia plus actu quam solo uelle meremur.
 Non ad plectendum tamen est quam praemia dandum
 pronior Auctor, qui mercede remunerat una
 tam rectum uelle quam rectum, quem regit, actum;
 sed quia sic unum uelut ambo remunerat, inde
- 5640 promptior apparet retributor, et amplius inde
 ipsius immensa semper clementia lucet;
 iustitiam declarat in hoc, quod quosque reatus
 poenis castigat propriis, excessibus aequans
 in numero poenas, plus uelle coercet et actum
- 5645 quam solum uelle, minus unum, plus simul ambo.
 Pro facto semper reputatur recta uoluntas
 et numquam praua, nisi cerea uerba trahantur
 ad talem sensum: 'sic debet sola uoluntas
 puniri, sicut quando producit actus'
- 5650 (quamuis, ut culpam, sic adderet actio poenam);
 sub tali sensu, quicquid uis nec potes, illud
 95r pro facto Dominus reputabit, quatenus, etsi
 non facias, poenam patiaris iure minorem;
 sed recte surgit ex uerbis recta uoluntas.
- 5655 Quamuis sufficiat ad praemia sola uoluntas,
 non tamen inde uacat, non inde superfluit actus,
 in uera seruans hominem uirtute merendi;
 falsa probaretur potius quam uera uoluntas,

5624 *sch.s.l.* (uoluntas)'tantum. 5626 *sch.* Nota, utile est. 5627 *sch.* Iuxta illud
 Euclidis: si aliqua duo inter se sunt aequalia, si aliquid est inaequale alteri eorum,
 ipsum est inaequale reliquo illorum. 5628 *sch. erasum in mg. sin.* Immo (?) +
 una uox illegibilis. *sch.s.l.* (uoluntas) Presbyteri. 5629 *sch.s.l.* (sola uoluntas)
 Non actus.

- si uitaretur opus afflueretque facultas.
- 5660 Quando uolens uestit nudum caelestis amore
mercedis, duplex est finis et una uoluntas:
est uolitum primus, merces aeterna secundus;
quando uult, sed abest complendi uelle facultas,
per se consistit sine primo fine uoluntas.
- 5665 Imponit nomen fini sortita uoluntas
nomen de fine; sed, quem denominat ipsa,
proximus est finis, et, qui denominat ipsam,
ultimus est finis, finalis causa prioris;
et sic fit semper, si rectus finis uterque,
- 5670 non autem, si sit primus malus et bonus alter.
Quis uult furari, per quae pascatur egenus:
furari, primus finis, malus, atque uoluntas
est mala furandi; sed egenum pascere quemquam,
posterior finis, bonus et laudabilis extat.
- 5675 Sic operi semper affectus siue uoluntas
imponit nomen, quod opus, quod surgit ab illa
tamquam radice, rectum, si recta uoluntas,
et sit peruersum, si sit peruersa uoluntas.
A supradictis, finem complexa secundum
- 5680 atque uoluntatem, differt intentio, quarta:
quilibet intendens mendicum pascere propter
95v aeternam uitam uult, non, quicumque cibare
uult inopem, facere hoc patriae caelestis amore
intendit: quare quaeuis intentio, uerum
- 5685 non e conuerso, cognoscitur esse uoluntas;
aut non haec quarta per se distincta uoluntas,
sed magis ad finem directio permanet eius.
Qui crucifigendo Christum praestare uolebant
obsequium Domino lumenque perenne mereri,
- 5690 peccabant nimis errantes in fine supremo:
quippe uoluntatis crucifigendi fuit alter
finis non uita perpes, non gaudia caeli,
longe dissimilis illi mors perpes Auerni.

5662 *sch.s.l.* (primus) Finis. 5666 *sch.s.l.* (ipsa) Uoluntas. 5667 *sch.s.l.*
(proximus) Primus. *sch.s.l.* (ipsam) Uoluntatem. 5668 *sch.s.l.* (prioris) Sci-
licet finis. 5669 *sch.* Bene dico: si uterque sit rectus, non autem etc. 5690
sch.s.l. (supremo) Ultimo. 5691 *sch.s.l.* (alter) Primus. 5693 *sch.* (illi) Pri-
mo fini.

- Hoc ignorabant Iudaei, sed fuit error
 5695 non satis excusans, crassus nimis atque supinus;
 zelus eis inerat, qui non dilectio, sed qui
 synderesis, rationis erat scintillula quaedam,
 quam nequit omnino quaeuis extinguere culpa;
 qua quaedam tenuis in eis fuit orta uoluntas
 5700 obsequium Domino praestandi, sed nihil egit,
 nil profecit ad hoc, ut non damnabilis esset
 et grauis ipsorum tam detestabilis actus.
 Qui crucifigendo peccarunt, non sine culpa
 a nece cessassent, quando crucifixio saeua
 5705 sancta uidebatur ipsis, cessatio culpa;
 sed non perplexi tamen inde fuisse probantur,
 cum scripturarum potuissent lumine falsi
 erroris tenebras omnes a corde fugare,
 ut Christum latria censerent, non nece, dignum.
 5710 Sicut mortalis ad Tartara siue Gehennam
 moles aedificat, sic et uenialis harena:
 96r quamuis delinquat uenialiter, ad Styga culpae
 conscius aedificat, qui per mendacia uitam
 quaesito seruat, ausus peccare scienter,
 5715 cum non ignoret, quod agit, quod non sit agendum.
 Ex dictis lucet, intentio qualiter erret,
 quando constituens sibi finem praeterit illum
 effectus finem, qui finis proprius extat.
 Quando non errat, si recta sit et bona, quamuis
 5720 desit opus, non inde minor retributio fiet:
 sic, quantum intendis, tantum semper facis, etsi
 nil facias operis, si desit sola facultas;
 sed si sit reprobata, si praua intentio, quantum
 intendit, tantum facit is, qui transit ad actum,
 5725 addit enim semper culpam superadditus actus;
 quantum intendit, agit, qui plus, non qui minus illo,
 quod patrat, intendit patrare; quod est graue mortis
 peccatum, numquam ueniale intentio reddit.
 Eminus emittens dextra distante sagittam,

5711 harena *Rpc*: arena *Rac*

5723 si praua *R(2)* in *ras.*: ? *Rac*

5705 *sch.* (cessatio) Crucifixionis.

5719 *sch.s.l.* (errat) Intentio.

- 5730 ut quemuis perimat, fit tantum homicida reatu,
 non actu: iaculo dimisso nil agit unus,
 nil alter patitur, donec ueniente sagitta
 quodam durante tractu perimatur; ab actu
 non auctor mortis homo, sed magis actio causa est,
- 5735 aut non dicitur, qui telum torsit in hostem,
 occidisse, prius quam ceperit actio finem,
 sicut qui suadet, qui pulsat iudicis aurem,
 ut suggesta fides in cor descendat ab aure,
 numquam dicitur, quod ei persuadeat ipse,
- 5740 nec persuasisse uere dicitur, adusque
 iudex inclinans multis rationibus aurem
 96v praestiterit facta sibi credulitate fauorem.
 Quantumcumque reus fiet, qui missile misit,
 ex tali facto, subito post missile missum
- 5745 tam peruersus erit, quicquid post inde sequatur.
 Si prauum uelle comitetur missilis ictu
 mors hominis praua, telum iaculatus in hostem
 deliquit grauius, quam si priuetur iniquo
 effectu labens in terram missile cassum,
- 5750 disponente Deo, ne maior culpa sequatur;
 si uero uelle rectum praecesserit ursum
 uenandi, sed homo perimatur missilis ictu,
 incurrit culpam iaculator missilis, ex quo
 non cauit, quod erat omnino cauere necesse,
- 5755 ad quod nulla fuit nisi forte remota uoluntas.
 Praecessit culpa, quam praecessisse necesse
 non erit, usque grauis mors infligenda sequatur:
 sicut mors ante poterit non esse futura,
 sic etiam poterit non praecessisse reatus;
- 5760 sicut possibile est mortem non esse futuram,
 sic est possibile non praecessisse reatum.
 Haec uelut absurda quidam uitare uolentes
 dixerunt, quod non uariet uarius locus actum,
 sed, quemcumque locum feriat transmissa sagitta,
- 5765 actus permaneat nihilominus unus et idem,
 ne circa culpam uel sic mutatio fiat;
 uerum, si mutet mutatio temporis actum,

- ut non permaneat idem sed differat alter,
 si iaculum citius uolet huc et tardius illuc,
 5770 ut prius, incurrent, quae deuitare uolebant.
 Quorum iudicio peccant aequaliter omnes
 97r mittentes iacula paribus contemptibus, etsi
 unius iaculo perimendus sit pater eius,
 alterius iaculum ruiturum sit sine damno;
 5775 maiorique tamen torquebitur ille dolore,
 qui caro patre iaculi priuabitur ictu;
 sed nullus poterit poenas augere perennes
 quantuscumque dolor habiturus tempore finem,
 gaudiolum nullum claudendum fine perenni
 5780 laetitiae poterit quicquam superaddere, sicut
 saecula non crescunt momento, linea puncto;
 hinc, quamuis unus alium praecesserit annis
 mille, tamen caeli ciues, quos par amor aequat,
 perpete laetitia gaudent aequaliter omnes.
 5785 Ut non peccatur, quando per missile damnum
 infertur, sed dum celebratur missio teli,
 sic quidam censent, quod nullus peccet in actu,
 qui nec consentit nec prorsus scit, quid agatur,
 quamuis ex eius culpa processerit actus:
 5790 hinc nullus peccat, dum non intelligit actum
 mentis inops, quamuis peperisset culpa furorem;
 nullus delinquit, dum dormit nescius actus,
 quo caro polluitur uel pressus deperit infans;
 crebro tamen, quae uel furiosus perpetrat aut is
 5795 qui dormit, culpae dicuntur, non quia culpae
 sed quia culparum sunt apparentia signa;
 at tamen ecclesia consueuit talia propter
 cautelam, propter culpas punire priores.
 Plures affirmant, quod, perdurante furore
 5800 quae mala committit, fatuo Deus imputet ultor,
 si produxisset praecedens culpa furorem.
 97v Non ex contemptu comitante recentia facta,
 sed de quo genitrix processit culpa furoris,

5771 equaliter *R(1)* in ras.: ? *Rac*

5768 *sch.s.l.* (idem) Actus. *sch.s.l.* (alter) Scilicet existens.
 Hauv. Arch. I, 142-43.

5781 Joh. de

- ex grauitate quoque prauī cuiuslibet actus
 5805 mensurant culpas, quas uecors perpetrat amens,
 quem, licet ignoret alii praeponere patrem,
 plus in patre, minus alio delinquere censent,
 ut plus in patris, minus alterius nece peccet.
 Qui de contemptu surgunt comitante reatus,
 5810 dicunt aequales, non tali tamque remoto,
 ut non aequales semper de fomite surgunt.
 Ostendit maior contemptus uel minor, augens
 uel minuens, maius peccatum uel minus esse:
 cui plus committit uel plus dimittit, ab illo
 5815 plus Deus exquirat studii peccata cauendi;
 hinc, nisi plus caueat, magis ingrati, magis inde
 contemnentis erit pariter transgressio maior.
 Quo quis oboedire magis est astrictus, eo plus
 peccat transgressor Domino parere recusans. -
 5820 Quamuis sit culpa contemptus, non tamen omnis,
 est animi uitium quidam; si quilibet esset
 peccatum, cum de contemptu prodeat omne
 peccatum, culpas, quisquis peccaret, haberet
 innumeras, cum non posset contemptus haberi,
 5825 qui non ex alio contemptu surgeret, et sic
 innumeros nullus posset numerare reatus. -
 Quodlibet obseruat mandatum, quisquis oboedit,
 sed, qui contemnit, quaedam, non omnia, soluit:
 hinc melior uirtus complectens cuncta uidetur
 5830 obseruanda simul, quam contemptus malus esse
 possit mandata quaedam, non omnia, frangens,
 98r quamuis ad ueram non prosint cetera uitam
 illi, qui tantum mandato offendit in uno. -
 Quaedam circumstant, augent minuuntue reatum:
 5835 hinc, quibus est aequae peccandi intensa uoluntas,
 unus plus alio peccat: plus, quem sacer ordo
 maiorem reddit, laico, quamuis in utroque

5816 caueat *RI*: caueas *Rac*

5823 peccaret *RI*: uel, tor *R3 s.l.* (i.e. "uel 'peccator' legendum")

5825 surgeret *RI*: suggeret *Rac*

5820-26 *Prov.* 18,3.

5820 *sch.* Nota.

sch. (non tamen omnis) Con-

temptus est peccatum.

5821 *sch.* in *mg. sin.* *Sed.*

5832-33 *Iac.* 2,10.

- nullum peccatum maneat nisi sola uoluntas,
 aequalis, sed non pariter deformis in ipsis.
 5840 Is, qui lumen habet uirtutum, si sine culpa
 efficiatur inops mentis, furiosus et excors,
 per bona, quae faciet durante furore, perennis
 ipsius in caelis minime retributio crescet,
 quamuis extingui uirtutum lux sine flatu
 5845 mortalis culpa nequeat, sed munere duret,
 non usu, maneat habitu, non clareat actu:
 infans a culpa sacro baptismate lotus
 uirtutes, retinens habitu, non exerit usu.
 Nec mirum, quod non propter bona, quae facit amens,
 5850 crescat caelestis retributio, cum neque crescat,
 si compos mentis faciat, nisi creuerit ante
 commoda procurans suboli dilectio mater,
 cuius mensurae respondet caelica merces,
 ut minor aut maior semper retributio detur,
 5855 si minor aut maior praecesserit ardor amoris.
 Est secus in uitiiis, secus in uirtutibus: illis
 aequales numero poenae debentur Auerni,
 istis est una retributio debita caeli;
 nemo magis cunctis uirtutibus et minus una,
 5860 sed, quantum quisque cunctis, tantum est bonus omni;
 econtra uitium peiores efficit omnes,
 98v quam fuerint, uitiiis quodcumque prioribus addunt.
 Hinc, quicumque bonus est, plus bonus esse uidetur,
 quam, quicumque malus, quandoque queat malus esse;
 5865 plus facit una bonum uirtus, quam quaelibet, etsi
 iuncta, malum uitia subiectum reddere possint.
 Unde Deum plus iustus amat, quam possit auarus
 mundum uel quicquid ad mundum spectat amare.
 Plus protoplastus erat scriptura teste superbus,
 5870 quam fieri posset humilis quisquam nisi Christus,
 non quod Adae fastus maior uirtute fuisset
 alterius, uerum magis obfuit in patre totam

5844 quamuis *Gz*: quauis *R*

5845 duret *RI*: durat uel ducat *Rac*

5852 procurans *RI*: procurens *Rac*

- tabificans subolem, quam uirtus posset alius
 excepto Christo cunctis afferre iuuamen. -
- 5875 Ob fragilem carnem leue iussit apostolus, ut sic
 iustitiae, sic Auctori seruire uelimus,
 ut culpa, sicut Satanae seruiuimus ante,
 non aequans uitia uirtutibus, immo pudorem
 nobis incutiens, nisi, quod concessit, agamus,
- 5880 ut tantum studii tantumque laboris honori
 nunc impendamus Domini, quantum prius ira
 digni suadenti culpas impendimus Hosti,
 quem uoret, instanter quaerenti more leonis.
 Intentum obsequio Satanae uigilantius ante
- 5885 quem modo non pudeat, uirtutum luce fugatis
 culparum tenebris, detecta fraude maligni
 Hostis, in obsequio torpere Dei, bona quaeuis
 plus bonitate sua transcendentis, magis omnem
 humanam laudem superantis, quam iubar umbram,
- 5890 quam sol excedat radium, quam mundus harenam?
 a quo munifico cunctorum auctore bonorum
- 99r post uitae cuncta praesentis commoda supra
 quemque gradum melior tribuetur uita perennis.

5882 suadenti *R(1) in ras.: ? Rac*

5873 *sch. Nota.* 5875-77 Rom. 6,19. 5883 I Petr. 5,8. 5889-90 Joh. de
 Hauv. Arch. I, 142-43.

LIBER X

Coepti pars operis operum, quae Conditor orbis
 5895 fecit ab initio, finem non absque labore
 . qualiscumque metri seruata lege recepit.
 Quod, quam difficile fuerit constringere metro
 sumptam materiam, uigilanti pectore rimans,
 uix excusare discretus lector omittet.

5900 Utilitas operis oculis inspecta serenis
 uix patietur opus a iusto iudice sperni.

Ad reliquam partem sociandam iure priori
 progreditur calamus, ut sic recreatio scripta
 clarescat, sicut est nota creatio facta;

5905 ut declaretur reparator, qui fuit auctor;
 ut conscribatur per Adam data uita secundum,
 sicut descripta est per Adam mors orta priorem;
 ut, licet innumera, licet excedentia laudem
 quamlibet humanam, licet exsuperantia quemuis

5910 conatum, merita Christi pro posse per eius
 auxilium studeam deuota pandere lingua,
 sicut Adae primi curauit scribere culpam,
 per quam corrupto tamquam radice parente
 omnes producti corrupti sunt quasi rami,

5915 et sic innumera suboles incommoda traxit.

Immensis meritis quamuis nec paupere possim
 ingenio quae sufficerent nec digna referre,
 ut non displiceat saltem, quodcumque minutum
 obtulero laudis, ad te, Noys alma, recurro;

5920 ad tua securus suffragia conuolo, certus
 per prius exhibita, quod confidentibus in te.

99v semper proficuum digneris ferre iuuamen.

5917 sufficerent *R*, *Gz(txt)*: sufficiant *Gz(app)*

5922 ferre *Rpc*: proferre *Rac*

- Si non securo sperarem corde, quod esses
 auxilium gratum solita pietate datura,
 5925 non fasces, quos non possem tolerare, subirem.
 Sic operi faueat tua gratia, quatenus ortus,
 progressus, finis ualeant proferre fauorem!
 Praeueniens, comitans, consummans gratia totum
 acceptum, totum lectoribus utile reddat!
- 5930 Non est passa Dei bonitas immensa, quod omne
 humanum genus ob foedae contagia culpa
 primi patris Adae poenas exsolueret ignis
 Tartarei, semper lueret, sine fine periret:
 ne frustra factum fuerit, sine fine cremandum;
 5935 ne priuaretur omni pietate flagellum;
 ne censeretur Plasmator plasmatis osor;
 ne grauior poena quam spirituum, minor esse
 culpa uideretur hominum, si, quos caro prona
 et Satan in culpam traxerunt, iugiter omnes
 5940 torquendi diris Erebi cruciatibus essent,
 cum pars spirituum maior sit facta beata;
 ne, quod proposuit Deus, efficeretur inane,
 si nullum ferret hominis plasmatio fructum,
 si nil proficeret, si prorsus inutilis esset;
 5945 ne, si spes ueniae prorsus sciretur inanis,
 non comitaretur culpam contritio cordis,
 cum tamen ob gemitum, propter suspiria cordis
 a Domino fuerit promissa remissio culpa.
 Cur homini Plastis impressa fuisset imago,
 5950 cur similis factus Auctori, cur super omnes
 res sublimatus mundanas, si miser omnis
 100r ignibus aeternis esset cruciandus Auerni,
 si quemuis esset mors depastura Gehennae,
 si nullus felix uisurus gaudia caeli,
 5955 sed descendurus infelix omnis ad Orcum?

5927 proferre *R*: praeferre *Gz*, fort. *recte*

5928 Praeueniens *K*, *Gz*: 2reueniens *R* (*S inuersam rubricator scripsit*)

5940 herebi *R(1) in ras.*: ? *Rac*

5945 spes *Rbc*: species (?) *Rac*

- Quamuis ad ueniam flexus pietate fuisset,
 auxilium miseris impendere distulit Auctor:
 ut culpa grauitas poenae grauitate pateret;
 ut plus dilata subuentio grator esset;
- 5960 ut certos tanta dilatio redderet omnes,
 quod numquam per se prostrati surgere possent;
 ut lex naturae prius et lex scripta probatae
 essent, quod minime possent reparare ruinam.
 Prima licet posse standi daret, altera nosse,
- 5965 utraque spreta fuit: siluit lex prima perempto
 uerbere fratris Abel; siluit lex altera, postquam
 coepit adorare uitulum Iudaeus, adusque
 aduentu Christi lex immaculata daretur,
 conuertens animas et ab omni crimine mundans;
- 5970 haec Antichristo tandem ueniente silebit.
 Lex siluit media, peccati nox iter egit
 in cursu medium, quando, qui regnat ubique,
 assumpta carne uenit de sede superna.
 Non potuit baculo lex significata prophetae
- 5975 uiuificare genus humanum; quando propheta
 aduenit Patris aeterni filius et se
 ad formam serui contraxit sponte misertus,
 tunc genus humanum destructa morte reuixit.
 Adueniens iuuuit custos Iesus ense latronum
- 5980 plagatum, non lex Moysi typicata, Leuita.
 Nulli lapsorum suffecit propria uirtus,
 100v tantum peccati labes infecerat omnes;
 quomodo sufficeret ex omnibus unus, ut eius
 uirtus cunctorum dissoluere uincula posset?
- 5985 Culpae sunt funes, sunt uincula suntque catenae,
 per quas captiui fuerant a Daemone tenti,
 qui captiuari meruerunt: iussa superbe
 transgressi Domino se subtraxere benigno,
 et subiecerunt Inimico colla maligno,
- 5990 se constringentes ipsius sponte catenis.

5964 *sch.s.l.* (Prima) Scilicet lex naturae. 5965-66 Gen. 4,1-16. 5967
 Exod. 32,4. 5968 Psalm. 18,8. 5971-72 Sap. 18,14-15. 5974-75 IV
 Reg. 4,29-31; Gal. 3,21. 5976-77 Phil. 2,7. 5978 I Cor. 15,26; II Tim.
 1,10. 5979-80 Luc. 10,30-32. 5985 Psalm. 118,61; Prov. 5,22.

Iuste detentos statuit iustissimus Auctor
 numquam dissolui, si non homo uincula soluens
 sic humilis fieret, soluendis omnibus unus
 tantum sufficiens, sicut fuit ille superbus,
 5995 ob cuius culpam cuncti meruere ruinam,
 ut uitium fastus animi contraria uirtus
 expurgaret, homo Satanam deuinceret, a quo
 uictus homo fuerat, ne, si quis non homo uictum
 et propria culpa prostratum tolleret Hosti,
 6000 esse uideretur uiolenta ablatio talis,
 cum iuste fuerit detentus homo, licet ipsum
 fraudibus illaqueans iniuste ceperit Hostis.
 Hinc, circumuentum seruum si tolleret Hosti
 efficiens cuncta, quae uult, Deus absque labore,
 6005 non posset iustam Satan inde mouere querelam;
 sed per iustitiam, quae plus prodesse ualeret
 apparens humilis, tollendum censuit Auctor,
 quatenus exsurgat humilis, cum tale salutis
 uiderit exemplum, qui corrui ante superbus.
 6010 Praeterea Dominum praesumpsit spernere seruus,
 cui se subtraxit et iniquo subdidit Hosti;
 101r non possent igitur, nisi compensatio damni
 sufficiens fieret, celebrari foedera pacis.
 Non habuit seruus, Domino quod reddere posset:
 6015 quaeuis res homine terrena indignior esset;
 omnis homo peccator erat, nec par fuit illi,
 qui fuit immunis a culpis ante ruinam.
 Praeterea, cum sit peccato debita poena
 et maior poena maiori debita culpae,
 6020 sicut suffecit unius culpa ruinae
 humani generis, sic debuit unius esse
 sufficiens poena cunctorum tollere culpas;
 sed cum nullius prostrati afflictio culpis
 sufficeret propriis delendis, quomodo posset
 6025 totius humani generis dissoluere culpas?
 Aduenit tandem miserendi tempus, ut aegro

5998 non *RI s.l.*: *om. Rac*

6004 *sch. Nota.* 6008 *sch.s.l.* (humilis) Homo.

optatam medicus uellet conferre salutem.
 Hic, licet imperio posset depellere solo
 languorem, cuius omni parere necesse est
 6030 cuncta uoluntati, (res omni digna stupore!)
 elegit medicus medicinam, quae, licet aegro
 utilior, medico tribuenti indignior esset.
 Ut, quocumque modo mors uenerat, omnibus actis
 per medicamenta contraria uita rediret,
 6035 non Pater aut Pneuma sacrum, sed Natus ad aegrum
 descendit, carne sumpta de uirgine casta,
 ut, uelut in caelis est Patris filius, idem
 in terris etiam genitricis filius esset.
 Ut monas Patri, paritas ascribitur eius
 6040 Proli, Spiritui sancto connexio: quare,
 cum Domini scire seruus cupiisset et ipsi
 101v taliter aequari, Proles, ob quam fuit orta
 tempestas, alter Ionas est in mare missa.
 Aut in spiritibus tempestas est prior orta:
 6045 Lucifer inuidit, quod Patri par Noys esset;
 quare praesumens ascendere corrui; huius
 fraude cupiuit homo sicut Deus omnia scire,
 et propriis caruit, qui non concessa sitiuit:
 sicut cunctorum radix et origo malorum
 6050 esse tumor legitur, sic et damnosa cupido.
 Sic tempestatis utriusque fuit Noys alma,
 et Patri similis et par, occasio quaedam,
 et sic utrimque damnum fecisse uidetur;
 hinc, ut et angelici fieret reparatio casus
 6055 et saluaretur homo, debuit in mare mitti.
 Est lignum uitae compar Sapientia Patri,
 quam qui comprehendit teste est Salomone beatus;
 hoc in aquam misit Elisiaeus, quando uidentus
 in mare mundanum descendit Filius et sic

6035 non *A*¹. *Gz*: qō *R*

6041 cupiisset *RI*: cupisset *Rac*

6049 malorum *K*. *Gz*: malorumo *R*

6041-42 Gen. 3,5. 6043 Ion. 1,12; Matth. 12,39-40. 6045-46 Is. 14,12-13.

6049-50 Sirach 10,15; I Tim. 6,10. 6050 *sch.s.l.* (tumor) Superbia. 6056-

57 Prov. 3,13-18. 6058 IV Reg. 6,5.

- 6060 ad se retraxit ferrum, quod corruit, ad se
 humanum reuocans genus, in primo patre lapsum
 et per peccata durum factum quasi ferrum.
 Plantatum fuit hoc lignum, quando sibi carnem
 Filius assumpsit conceptus Pneumate sacro,
- 6065 cuius opus Dauid decursus dicit aquarum,
 quo, uelut ignis aqua, uitiorum extinguitur aestus.
 Ecclesiae princeps Dominus Iesus et caput extat,
 et sic in medio Paradisi dicitur esse.
 Est candelabri medius stipes: tria sunt hinc
- 6070 brachia, sunt inde tria, Iob, Daniel, Noe, tantum
 tres quos Ezechiel saluandos uidit et ante
- 102r et post aduentum tribuentis morte salutem.
 A Patre per Genitum, cum sit Sapientia Patris,
 sic facienda fuit hominum recreatio, sicut
- 6075 a Patre per Genitum fuit ante creatio facta.
 Hinc sumpsit Christus carnem de uirgine matre,
 ne quam pruritu foedae libidine culpae
 contraheret maculam, qui uenit soluere culpam,
 sed compleretur patribus promissio facta,
- 6080 ut saluarentur in eorum semine gentes,
 et fieret causa uitae sic femina felix,
 ut fuerat mortis infelix femina causa,
 et genus humanum saluaret femina fructu,
 ut genus humanum damnauit femina fructu,
- 6085 ac Euae fieret actu contraria Uirgo,
 sicut Adae fieret Christus contrarius actu,
 quamuis extiterit prior Eua figura Mariae,
 sicut Adam Christi typus extitit atque figura.
 Se Deus ad formam serui contraxit, ut esset
- 6090 eius sic humilis descensus, ut ante superba
 plasmati serui fuerat praesumptio, quando
 praesumpsit uelle seruus sicut Deus esse.
 Se Deus ad formam serui contraxit, ut idem
 et Deus ens et homo iacturam redderet in se

6072 tribuentis *Ki, Gz*: tribuentes *R*

6063-65 Psalm. 1,3. 6067 Eph. 1,22; 5,23; Col. 1,18; I Petr. 5,4. 6069-72
 Exod. 25,31-36; 37,17-22; Num. 8,4; Ezech. 14,14. 6080 Gen. 12,3; 18,18; 22,18;
 26,4; 28,14; 48,19. 6089 Phil. 2,7.

- 6095 subtracti, et parti neutri suspectus utrumque
placaret, parti gratus mediator utrique.
Se Deus ad formam serui contraxit, ut actu
et uerbo, quae sit uitae uia recta, doceret
et, consummata doctrina sufficienti,
6100 post diras poenas et amara opprobria mortis
in cruce supplicium pateretur, quatenus esset
102v hostia sufficiens nec non perfecta medela
ad culpas hominum delendas, ad redimendum
captiuum genus humanum de carcere saeui
6105 Hostis, ad imperium soluendum mortis amarae,
ad portam caeli reserandum cuique fideli,
ad seruile iugum tollendum legis amarae,
ad confirmandum uirtutum robur, ad hostes,
ne quam iacturam ualeant inferre, fugandum.
6110 Iustificabantur homines in sanguine Christi:
Cum mortem Christus pro nobis sponte subisset
tam Patris assensu quam sacri Pneumatis, ad nos
admiranda Dei grandis dilectio claret;
hinc inuitamur, accendimur atque docemur,
6115 ut Dominum, qui nos tantum dilexit, amemus;
sic facti iusti cunctarum a sorde lauamur
culparum et diris a uinclis soluimur Hostis.
Uel, quia pro nobis sic indignissima passus
orbis totius immensus creditur Auctor,
6120 iustificat nos recta fides culpasque relaxat.
Sicut in erectum serpentem lumina figens
est a serpentum sanatus morsibus olim,
sic, oculis cordis qui respicit in cruce Christum
suspensum, cunctis culpīs mundatur et Hostis
6125 eripitur laqueis, et sic fit liber ab Hoste,
ut nihil inuento, quod in ipso puniat, Hostis
post istam uitam nequeat retinere fidelem.
Pro nobis Christi sine culpa sanguine fuso
sunt omnis plene deleta chirographa culpaе,

6129 omnis *Th, Gz*: omnes *R*

6101-03 Hebr. 10,12. 6107 Gal. 5,1. 6110 Rom. 3,24-25; 5,9. 6115
Ioh. 3,16; I Ioh. 4,19; Apoc. 1,5. 6121-27 Num. 21,6-9; Ioh. 3,14-15. 6129
Col. 2,14.

- 6130 ut post hanc uitam iustum, qui regna polorum
promeruit, nequeat Satanas retinere per horam.
- 103r Nil Satan inuenit in Christo, quod cruce dignum
esset, quando sine meritis fuit in cruce Christus
et nullam causam de culpa mortis habebat;
- 6135 hinc Satanae mortem suadenti iure potestas
est prior ablata reserataque ianua caeli,
ut Christi morte possent intrare redempti
a Satana, licet in pretium Sapientia tantum
se Patri obtulerit, non Hosti fraudis adepto
- 6140 retibus humanum genus iniusteque tenenti.
Uelatus carne sumpta Christus fuit hamus
esca celatus; deitatis cuspis in esca
carnis delituit, quo defixus fuit Hostis,
quando praesumpsit mundam contingere carnem.
- 6145 Aduersus Satanam pro muscipula cruce Christus
est usus carnemque suam posuit uelut escam;
attractus carne Satanas fuit et cruce captus,
ut, quos possedit captiuos, perderet, ex quo
Auctori nocuit, in quo nil iuris habebat.
- 6150 Cum censeretur uictus Iesus, in cruce uicit;
cum Christi in manibus crucis essent cornua, mortem
uirtus ipsius abscondita fecit abire.
Sic princeps mundi Satan est eiectus, eorum
ens princeps, rector, rex, qui mundana sequuntur
- 6155 et propter curas mundi caelestia spernunt.
Sic puer et sapiens, peccato purus ab omni,
est melior Christus Satana, stulto et sene rege;
dicitur inde 'senex', quia, Lucifer ante ruinam,
ante creaturam cum caelo est conditus omnem.
- 6160 Amisit stultus, quos cepit fraude maligna;
propter stultitiam 'perdix' est dictus: et ipse
- 103v res sine iudicio congestas perdidit omnes
natus in empyreo regno, quia non sibi stultus

6150 censeretur *RI*: cenceretur *Rac*

6159 est *add. Gz*: *om. R*

6141-44 *Iob.* 40,20. 6149 *Ioh.* 14,30. 6151-52 *Hab.* 3,4-5. 6153 *Ioh.*
12,3. 6156-57 *Eccles.* 4,13. 6156 *Is.* 53,9; *Ioh.* 8,46; *II Cor.* 5,21; *I Petr.*
2,22; *I Ioh.* 3,5. 6161-62 *Ier.* 17,11.

- prospexit, rebus spoliatus, quas male cepit.
- 6165 Sic miser effectus et inops, quia sponte quietem
ueram deseruit, consumitur absque quiete;
egressum puerum de carcere deque catenis
Iudaicae gentis, qui praedam sustulit Hosti,
ad Patrem constat rediisse, per omnia Patri
6170 aequalem, regem super omnia regna perennem.
Hostem, quem faciunt hominum peccamina tantum
fortem, uinciuit Christus per uincula mortis
fortior adueniens; homines, quos ceperat Hostis,
quos tamquam uasa uitii infecerat, Hosti
6175 abstulit ac omni uitiorum sorde remota
Christus dulcore uirtutum uasa repleuit.
Quos mors eiectos Paradiso tradidit Orco,
Orcum confringens ad caelum uita reduxit.
Mors strauit morte, quos uita uita beauit;
6180 quos ligno cepit, per lignum perdidit Hostis.
Ecce, Iesus Christus summus fuit ille sacerdos,
in cuius morte, cui patria iure negata est
ante, reuertendi gratia est collata facultas.
En, mulier sapiens prolis fecunda: lucernam
6185 accendit, quando deitatis lumine testam
impleuit nostrae naturae; caelitus orbe
euerso, in melius mutatis ante malignis,
inuenit drachmam, quae corruiat in patre primo
perdita: quippe fuit radix corrupta futurae
6190 corruptrix subolis et perditionis origo.
Perdita sic fuerat ouis a pastore reducta;
104r prodigus in pacem sic est a patre receptus:
huic uitulus datus est ob eum Iesus in cruce passus,
anulus est fidei datus, est data gloria caeli
6195 semper perdurans corrumpi nescia uestis;
sed senior frater, Iudaeus, fratre recepto,

6166 consumitur *Rpc*: consummitur *Rac*

6168 sustulit *R(1)*: substulit *Rac*

6180 cepit *Rpc*: ceperit *Rac*

6171-76 Matth. 12,29; Marc. 3,23-27; Luc. 11,20-22; Rom. 9,22-23.

6178 Ioh. 14,6. 6181 Psalm. 109,4; Hebr. 4,14; 5,6; 6,20-7,3; 7,17. 6184-90

Luc. 15,8-9. 6191 Matth. 18,12-13; Luc. 5,4-6. 6192-98 Luc. 15,11-32.

- qui sua consumpsit sub iniquo Daemone uiuens,
 est indignatus nec patrem uisere curat,
 ex quo non credit, quod compar filius eius
 6200 humani generis sit factus morte redemptor.
 Mors Christi mortem destruxit: quippe tuetur
 recta fides mortis a perpete morte fidelem;
 aut mors destruxit mortem tollendo timorem
 mortis, ut a multis mors affectetur amara;
 6205 aut mors destruxit mortem, cum nulla sequentem
 corporis ac animae nexum mors scindere possit;
 aut apud infernum iusti detentio dicta
 mors est, quam destruxit mors indebita Christi.
 Ante Dei mörtem positae transgressio legis,
 6210 ne quisquam pomi uetiti transiret ad esum,
 quemque remordebat, et, poena quod reus esset
 dignus pro culpa, Satan insultando monebat;
 legis contemptae talis memoratio scripta
 cautio decreti censetur, quam quasi iudex
 6215 contra nos tenuit hominum iustissimus Auctor
 et Satan opposuit uelut accusator, adusque
 sublatam e medio affixerit in cruce Christus,
 ne quis eam timeat, nec iusto possit ob ipsam
 post mortem Christi Satan insidiator obesse.
 6220 Est crucifixus homo noster uetus in cruce Christi:
 fomes peccati, quo pullulat usque uetustas,
 104v sic fuit in Christi cruce debilitatus, ut inde
 corpore peccati destructo, quod quasi quaedam
 extat congeries peccatorum, licet insit,
 6225 non obsit, non in mortali corpore regnet,

6197 iniquo *R(1)* in *ras.*: ? *Rac*

6205 nulla *Rpc*: nullas *Rac*

6207 detentio *R(1)*: intentio (?) *Rac*

6201 I Cor. 15,26; II Tim. 1,10; Hebr. 2,14; Os. 13,14. 6209 (*Reuera ad*
 6213 *sqq.*) *sch. R2* In epistula ad Colossenses: delens quod aduersum
 no«s» erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tu-
 lit de medio affligens illud cruci (*Col. 5,14*). 6210 Gen. 2,17. 6220 *sch. R2*
 In epistula ad Romanos: Hoc scientes quia uetus homo noster simul crucifixus est,
 ut destruat corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato (*Rom. 6,6*). 6222
sch. (debilitatus) Homo uetus (*in rasura*:) uel + 1-2 *uoces illegibiles*.

- non dominans faciat Hosti seruire redemptum,
 si non seruitio uicti se mancipet ultro
 et per consensum uires homo reddat inermi,
 quem debellauit deuincens in cruce Christus.
- 6230 Petrum, qui uerbis ancillae cesserat ante,
 post Christi letum non terruit ira potentum:
 sic Christi poenae solius simpla uetustas
 et poenae et culpae nostram consumpsit utramque,
 dum, quod non rapuit, Messias in cruce soluit, -
- 6235 primus Adam siquidem rapuit, soluitque secundus:
 manducans uetitum, cupiens sicut Deus esse,
 infelix rapuit et ab alto corruit; alter
 felix, ut lapsus erectus ad alta rediret,
 se pretium soluit ultroneus in cruce Patri.
- 6240 Suscepit Christus legalia, non ut ab ipsis
 emundaretur, cum semper mundus ab omni
 esset peccato, sed seruis tolleretur eius
 sanguine saluandis onus importabile legis.
 Hinc circumcidi uoluit carnaliter ille,
- 6245 qui circumcidi nequaquam in corde ualebat,
 ut finiretur trux circumcisio carnis,
 et firmaretur pia circumcisio cordis,
 cum carnem incidi nil prosit, spiritus autem
 uiuificet. Membrum cum circumciditur omne
- 6250 a uitio, tribuit pietas diuina salutem;
 quae praecessit, erat typus eius, quam petra Christus
 105r impleuit: quare, per Christum re patefacta,
 quae typicata fuit, uanescere debuit umbra.
 Cultro Christus erat typicatus petra petrino,
- 6255 octauoque die surrexit: quippe per ipsum
 a cunctis uitiiis hic circumcidimur, et post
 in caelo poena circumcidemur ab omni,

6243 onus *Rac*: honus *R2*

6246 finiretur *R(1) s.l.*, *expuncto* fine(re)tur uel fin(ir)etur, *quod compendio ambiguo scriptum erat (& fortasse ex fini(re)tur uel sin(er)etur correctum)*.

6257 circumcidemur *R(2)*: circumcidimur *Rac*

6230-31 Matth. 26,69-70; Marc. 14,66-68; Luc. 22,56-57; Ioh. 18,17; Act. 4.
 6237 *sch.s.l.* (alter) Adam. 6244 Luc. 2,21. 6245-49 Rom. 2,28; Gal. 5,6;
 6,15; Ioh. 6,64; II Cor. 3,6. 6251-52 Rom. 9,33; I Cor. 10,4; I Petr. 2,7-8.
 6254-55 Gen. 17,12; Lev. 12,3; Ios. 5,2.

sanctis octaua cum caelica uenerit aetas.
 Est circumcisis in solo corpore Christus,
 6260 ut concidamus a nostris omnibus, eius
 exemplo docti, peccata superflua membris,
 ut compareret Abrahae de semine natus,
 ut mutaturus legem non, cum nimis esset
 dura, uideretur mutasse nouamque dedisse,
 6265 ne sentiret eam duram, pateretur amaram.
 Non tantum corpus peccati destruit, immo
 robur uirtutum praestat crucifixio Christi.
 Quid posset corda iustorum plus in amore
 confirmare Dei, quam credere, quod Deus ultro
 6270 perpeusus fuerit pro seruis in cruce mortem?
 Si uigili mente tractares, quod Deus auctor
 rerum, qui nullis eget et ualet absque labore
 omne suum placitum complere, flagella, labores,
 inuidiae sannas, alapas, spurcissima sputa
 6275 pro te dignatus fuerit tolerare crucisque
 tandem tormenta turpissima sponte subire,
 ut sic castiges ipsius dogmate carnem,
 ne caro spiritui dominetur, sed mala uitans
 culparum bona uirtutum secteris, ut arcem
 6280 caeli conscendas effectus liber ab Hoste:
 qualiter auderes ab amore recedere Christi
 105v et uicto Satanae rursus submittere collum?
 Ex uirtute crucis est et crucis utile signum:
 signum daemonia crucis exhorrent cruce uicta
 6285 et fugiunt, quotiens ipsis opponitur; unde
 signatos sanctae signo crucis efficit inde
 signum securos, quod ab ipsis effugat hostes.
 Mors Christi mortem destruxit uitaeque uitam
 instruxit; nobis est morte redemptio mortis
 6290 et Christi uita uiuendi regula facta.
 Nil egit uel ait mortalis corpore, quod non
 seruiret nostrae, scriptura teste, saluti:
 ut nos certificent uestigia uisa magistri,

6259 Est R; E a rubricatore scripta est, st scripsit R2

6280 conscendas R1: concendas Rac

6274 Matth. 26,67; Marc. 14,65; 15,17-19. 6291-94 Ioh. 13,15; I Petr. 2,21.

- quae uia perducatur ad caelica regna sequaces.
- 6295 In cruce pendere docuit nos, quando pependit,
quo caput ascendit, si scandere membra uelimus.
Non crux exigitur a nobis mortis amarae,
quamuis mors capitis nos mortem cogat amare,
quae fieret, quamuis impar, retributio mortis
- 6300 illius, quae nos omnes a morte redemit
(hinc, licet impariter, saltem pro posse propheta
se responsurum merito promisit herili
in mortis calice, merituro dona salutis;
quamplures sancti, uestigia sacra sequentes
- 6305 Christi, morte breui uitam meruere perennem);
crux tamen exigitur leuior, crux dulcis amoris,
quamuis hic expers cruciatus non queat esse.
Crux habet haec latum, longum, sublime, profundum:
ut sit latus amor, quiuis inimicus ametur;
- 6310 ut longus, duret: in fine corona sequatur;
ut sit sublimis, sit in ipso intentio recta;
- 106r ut, quod celatur, habeat crux ista profundum,
non ascribatur meritis dilectio nostris,
sed, cur Auctor eam dederit, fateamur opertum.
- 6315 Ad mala ne pedibus manibus moueamur agenda,
praeceptis Domini confixi sint quasi clauis;
expansas largasque manus habeamus egenis;
mentem, quae caput est, pungat compunctio spina;
ne uideant uana, caligent lumina nostra;
- 6320 sint oppressorum patulae clamoribus aures;
pandatur latus, ut dilectio prodeat extra
et sic ex sede cordis procedat ad actum;
uel cor, uicinum lateri, laesum fuit, unde,
ut compescamus a uanis corda, docemur.

6308 hec R2: hic Rac

6310 sequatur R, Gz(txt): sequetur Gz(app)

6323 uel *legendum esse indicauit R(1) v in mg. posita: Ael (A manu rubricatoris) R in contextu* || *lesum R1 s.l.: uicinum Rac*

6324 docemur R(2) in ras.: ? Rac

6296 Col. 1,18; Eph. 5,30. sch.s.l. (caput) Christus.

6301-03 Psalm.

115,12-13. 6304 sch. Sancti. 6308-12 Eph. 3,18.

6316 sch. (confixi)

Pedes et manus.

6318 sch.s.l. (spina) Intransitiue.

- 6325 Mors fuit electa, quae mortem tolleret et nos
informans nostrae prodesset tota saluti,
qua nulla utilior redimendis, nulla ualeret
nobis a uitiiis curandis aptior esse.
Quis seruus tanti Domini praesumeret esse
- 6330 tantis ingratus et tot meritis, nec amaret
tantum, qui tanto seruuum praeuenit amore?
Cui duros Christi cruciatus corde uidenti
dura uideretur crux, quae debetur, amoris,
quae persuadetur cruce significata salutis?
- 6335 Sic exaltatus ad se Deus omnia traxit:
serui, per mortem Domini de morte redempti,
sunt tracti meritis, ut ament Dominumque sequantur
et post hanc uitam regnent in pace perenni.
Sic crucis in palmam Christus conscendit et eius
- 6340 fructus apprenndit, animarum milia multa.
Uerum dicuntur omnes 'unus', quibus unus
- 106v est amor, una fides, unum lauacrum, caput unum:
hinc in piscinam descenderat angelus unus
(Christus consilii magni fuit angelus iste),
- 6345 turbabatur aqua (populo 'crucifige' strepente),
sed sanabatur unus, per quem tamen omnes
sunt designati saluandi sanguine Christi;
cum currant omnes, brauium tamen accipit unus.
Sic Deus a ligno regnauit, morte redemptos
- 6350 efficiens iustos et rectos corde fideles.
Sic splendente super humerum cruce, quod Iesus esset
perpes et omnipotens princeps, clarescere coepit.
Sic Pater ob mortem Christo nomen super omne

6340 animarum *R1 in ras.*: ? *Rac*

6353 Sic: *2ic R (S inuersam pinxit rubricator)*

6329-31 I Ioh. 4,9-10; 4,19. 6335 Ioh. 12,32. 6339 *sch.R2* Salomon in
Canticis canticorum: dixi, ascendam in palmam et apprehendam fructus eius
(*Cant.* 7,8). 6341 *sch.R2* Apostolus ad Ephesios: unus dominus, una fides,
unum baptisma, unus deus et pater omnium (*Eph.* 4,5-6). 6343 Ioh. 5,2-9.

6345 Marc. 15,13; Luc. 23,21; Ioh. 19,6; 19,15. 6348 I Cor. 9,24. 6349
Psalm. 95,10. *De lectione a ligno nota inuenitur in Gl. Ord. in locum* (PL 113: 1005D-
06A); *hoc textu psalmi usi sunt e.g.* Aug. (Enarr. in Psalm.) et Venantius Fortunatus in
hymno "Vexilla Regis" (stropho 4; PL 88: 96A). 6351-52 Is. 9,6. 6353-55
Phil. 2,9-10.

nomen donauit, ut in eius nomine flecti
 6355 debeat omne genu, quia sciri, quod Deus esset,
 coepit post mortem, cum surrexisse pateret
 ipsum de morte, qui mortem sponte subiuit
 (crebro dicuntur fieri, dicuntur oriri
 res, quando primo comparent, primo sciuntur);
 6360 gloria post mortem despectam iure secuta est:
 mors humilis meritum fuit, exaltatio merces.

Aeneus est serpens Iesus exaltatus; in aere
 quod Deus, et quod sit mortalis in angue notatur:
 aes durat, mors per serpentem uenit in orbem.
 6365 Uirga potestate Deus est, conuersaque uirga
 est in serpentem, quando Deus est homo factus:
 hunc metuit Moyses et fugit, quando peremptum
 discipuli fugere Iesum, quasi non Deus esset;
 post tenuit caudam Moyses, serpensque reuersus
 6370 est in uirgam: discipuli, completa uidentes,
 cum surrexisset, promissa fidelia Christi,
 107r credere coeperunt, quod homo simul et Deus esset.
 Quando resurrexit Christus, dubitatio cessit,
 et magis aucta fides magis elucescere coepit.
 6375 In colubrum uirga Moysi conuersa magorum
 consumpsit colubros: Christus medicamine mortis
 mortem destruxit diris serpentibus ortam.
 Aut uirga Moysi typicata est crux sacra Christi:
 ut uirga Pharao deuictus, sic cruce Daemon;
 6380 hic uirga, ille cruce, dure est cruciatus uterque;
 de Christo scripsit Moyses: hinc dicitur apte,
 uirgam siue crucem Christi tenuisse prophetam.
 Accipitur per serpentem 'sapientia' (brutis
 omnibus in Genesi legitur prudentior anguis);
 6385 primo stultitia uerbum crucis est reputatum,

6360 gloria: sciuntur *add. & exp. R1*

6368 fugere *Gz: fugiere R*

6384 Genesi *K, Gz: genisi R*

6362 Num. 21,6-9; loh. 3,14-15. 6365-74 Exod. 4,2-5; Matth. 26,56; 28,17;

Marc. 14,50; 16,14.

6375-76 Exod. 7,10-12.

6383-84 Gen. 3,1.

6385 I Cor. 1,18.

- post reputabatur sapientia maxima, maior
 omni, quam quisque sapientum posset habere:
 sic colubro Moysi colubri periere magorum;
 emicuit cunctis Christi sapientia maior,
 6390 et prorsus stulta mundi sapientia uisa est.
- Hac uirga rubrum mare pertransiuit Hebraeus,
 est cum militibus Pharaeo submersus in undis:
 sic fuso factum quasi rubrum sanguine Christi
 emundans saluat sacrum baptisma fideles,
 6395 et mersum Satanam cum culpis cedere cogit. -
 Tam mors agni quam rubrum mare iuuit Hebraeos:
 tam lauacrum mundat iustos quam passio Christi;
 tam per aquam nobis uenit quam sanguine Christus,
 de cuius latere manabant sanguis et unda.
- 6400 Haec sacramenta duo significata fuerunt
 lymphae de cinere uaccae facta, quia Christum
 107v uacca figurauit, cinis est memoratio mortis:
 sicut mundauit homines aspersio lymphae,
 culparum sordes abolet baptismatis unda;
 6405 integra uacca fuit aetate et rufa colore,
 absque iugo semper, maculae cuiuslibet expers:
 in quouis opere perfectus, sanguine rufus,
 absque iugo culpae mortalis, mundus ab omni
 Christus erat macula uenialis, saecula mundans.
- 6410 Lymphae Mareth propter lignum dulcescere coepit:
 et cruce pensata Christi dulcescit amarum. -
 Ut petra fudit aquas uirga, sic in cruce passi
 a Christi latere fluxit cum sanguine lymphae.
 Sic Isaac ligna crucis almae ligna fuerunt,
 6415 in quibus ens aries homo Christus passus, at idem
 ens Isaac deitate nihil fuit in cruce passus;

6388 periere *RI*: perire *Rac*

6410 mareth (*uel* marech) *R2*: mare.. *Rac*: Marae *G2*

6414 ligna *RI s.l.*: lymphae *Rac*

6415 ens *R2 s.l.*: est *Rac*

6391 Exod. 14,15-22. 6396 Exod. 12,3-6. 6398 *sch. R2* In epistula
 Iohannis: hic est qui uenit per aquam et sanguinem, Iesus Christus; non in aqua
 solum sed in aqua et sanguine (*I Ioh. 5,6*). 6399 Ioh. 19,34. 6401 Num.
 19,1-10. 6410 Exod. 15,22-25. 6412 Exod. 17,5-6. 6414-16 Gen. 22,9.

- caelestis Patris Abraham typus extitit: unum
quem genuit uoluit exsoluere debita morti,
et Patri placuit caelesti passio Christi;
6420 inter Iudaicae gentis pungentia dure,
ut uepres, odia patienter Filius haesit.
Qui pro peccatis occidi debuit, hircus
humanae Christi naturae, sed typus alter
diuinae tantum fuit emissarius hircus.
- 6425 Sic crux est uectis, cui botrus Christus adhaesit,
et duo uectores duo sunt: gentilis, Hebraeus.
Sic duo ligna crucis uiduae duo ligna fuerunt:
ecclesiae uiduae, ueneranti ligna salutis,
non uel deficiet unguentum Pneumatis almi,
6430 uel Christi munda caro significata farina.
Ut carnem Christus assumpsit, quatenus esset
108r nobis in pretium, sic sumpsit, ut esset in escam.
Panis, quem Christus pro uita contulit, eius
mundum corpus erat, ut, sicut uenit ob escam
6435 mors prius in mundum, sic esca uita rediret;
ut cibus angelicus hominum pariter cibus esset;
ut non deficerent animae, si pane carerent,
sicut deficiunt subtracto corpora uictu
(quisquis de pane non manducauerit isto,
6440 non in se uitam semper cruciandus habebit;
hic cibus est animae, non corporis, et nisi mundus
nullus praesumat escam contingere mundam;
quisquis praesumit indigne sumere, teste
Paulo iudicium sibi sumit, dignus Auerno:
6445 ut iusto mortem patienti uita paratur,
iniusto sic mors audenti sumere uitam);
ut iustos semper typicatus pasceret agnus,
ad meliora bonis meritis transire studentes,
sicut Iudaeos paschalis pauerat agnus
6450 seruantes septem festum paschale diebus,

6420 pungentia R2: pingentia RI

- 6422-24 Lev. 16,7-10. 6425 Num. 13,24. 6426 sch.s.l. (gentilis) Scilicet.
sch.s.l. (Hebraeus) Et. 6427-30 III Reg. 17,8-16. 6431-32 I Cor. 6,20; 7,23;
I Petr. 1,18-19. 6433-35 Ioh. 6,35; 6,48-52. 6439-42 Ioh. 6,53-59.
6443-44 I Cor. 11,27-29.

- in tanto numero tempus signantibus omne,
 cum septem tempus pertranseat omne diebus.
 Hinc in uere, die Domini, decima quoque luna
 tendens Ierusalem Iesus est in honore receptus,
 6455 et, quarta decima luna contraditus igni
 poenarum, tensus cruce sexta luce pependit,
 et, post in tumulo septena luce quiescens,
 octaua elegit a morte resurgere tantum,
 ut nos post lacrimas, cordis suspiria poenas
 6460 pro culpis habita, post pacem siue quietem
 iustitiae gratis collatae, carne resumpta
 108v octaua surrecturos aetate doceret,
 et manifestaret, quod significatus in agno
 paschali fuerit redimens a faucibus Hostis
 6465 mortē sua genus humanum, quo tempore morte
 agni paschalis fuit a Pharaonis iniqui
 imperio populus effectus liber Hebraeus.
 Quare, quae iussa sunt historialiter ante
 Iudaeis, typicum tantum comedentibus agnum,
 6470 debent seruare nunc spiritualiter omnes,
 qui sacris ueri pascuntur carnibus agni:
 Sic sanguis supra postem ponatur utrumque,
 quatenus et corde credatur passio Christi,
 nec, quam cor credit, formidet lingua fateri;
 6475 sed supra positum limen, frons corporis instar
 aedis claudentis hominem, radiante patenter
 insignita cruce fateatur abesse pudorem.
 (Sic saluabantur omnes a morte gementes,
 quorum signauit crucis aemula littera frontes.
 6480 Uinceret ut Gedeon, est iussus habere trecentos,
 quot tau significat; sic quisque fide crucis esse
 debet munitus, ut uincat fortior hostes.

6460 habita *Rpc*: habita; *uel* habita *Rac* (nota signum interpunctionis post suspiria in
 6459 erasum esse): habitas *Gz*

6471 qui *Rpc*: quis *Rac*

6476 claudentis *Rpc*: claudentis *Rac*

6453-67 Exod. 12; Matth. 21,1-9; Marc. 11,1-10; Luc. 19,29-38.

6453 *sch.*

Nota. 6463-65 I Cor. 5,7.

6472-77 Exod. 12,7-13.

6478-82 Ezech.

9,4-6; Iud. 7,6-22.

- Non Amalech uinci potuit, nisi quando leuauit
 erectasque manus Moyses crucis instar habebat.)
- 6485 Aut est hoc limen intentio mentis, ut aedis,
 in qua quisque manet, dum cogitat; et cruce Christi
 pensata quiuis intendat, ut absque reatu
 ad patriam tendat, carnem cruciare rebellem.
 Ut restringatur petulantia fluxa, domentur
- 6490 luxuriae, cuncta pellantur crimina, cingat
 cinglo munditiae carnis maceratio renes.
- 109r Est corpus Christi nobis altare, nec inde
 esse tabernaculi seruis licet, ut quibus ingens
 est studium, cura permaxima corpus alendi
- 6495 et, quicquid corpus infirmum poscit, agendi.
 (Fundimus usque preces per Christi corpus, et inde
 recte censetur 'altaris' nomine corpus.)
 Extra castra Iesu, sicut uituli, uelut hirci,
 carnes poenarum grauium sunt igne crematae;
- 6500 Christo pontifice regnum penetrante polorum
 sanguinis oblata est effusi sparsio Christi:
 ut sic edocti nos extra castra malorum,
 non prauos prauis imitantes actibus, extra
 castra uoluptatum carnem maceremus et igne
- 6505 poenarum consumamus, quaecumque saluti
 obuia senserimus nostris animabus obesse,
 ut per pontificem Christum laudabilis eius
 Patri reddatur, suscepta in sanguine, nostra
 a luteis culpis mundata per aspera uita,
- 6510 aut praesententur animae pro perpete uita
 iuste praestanda post uitae dura prioris.
 (Dicuntur 'sanguis' animae, quod propria, sicut
 quidam testantur, sit eis in sanguine sedes.)
 Sic extra portam Christus passus fuit, ut nos
- 6515 ipsius exemplo, quasi portis sensibus omni
 peccato clausis, patienter dura feramus,

6501 sparsio Gz: passio R

6513 quidam R. sed littera q in scissura membranae perit

6483-84 Exod. 17,8-13.

6491 Exod. 12,11.

6492-501 Lev. 16; Hebr.

9,11-12; 9,24-25; 13,10-13.

6493 sch.s.l. (esse) Edere.

6512 Lev. 17,11; 17,14.

6514 Hebr. 13,12.

et sic sanctificet nos fuso sanguine Christus,
et prodesse queat ipsius passio nobis.

Dura quidem sunt haec, sed praemia summa merentur:

- 6520 angusta est porta, sed ducit in atria caeli;
non sunt, quae patimur, uitae condigna perenni,
109v quae si uitetur, horrenda Gehenna sequetur.
Haec attendentes sancti generaliter omnes
elegere uiam multum carnalibus artam,
6525 atque breui lucta palmam meruere perennem,
exemplisque docent, ut mortificare uelimus
carnem cum uitae patriae caelestis amore;
inductique pedes munimus pellibus, ex quo
felices sequimur, qui pelles mortificabant.
6530 Esse prius debent animalia mortua, quam sint
ipsorum pelles, ut fiat calceus, aptae:
ne durus renum uideatur cinctus ad esum
agni, subsequitur, ne calceus in pede desit.
Et bene subsequitur, quod edentis debeat esse
6535 in manibus baculus, per quem custodia sumi
pastoralis habet: ne quisquam sumere curam
pastoris curet, nisi renes cinxerit ante,
ne sit pollutus, qui munda docere tenetur,
ne contradicat uita sermonibus oris,
6540 ne uilis uita faciat uilesceere uerbum,
ne deprendatur mollis, qui fortia suadet.
Aut habet in manibus baculum, qui propter amorem
Christi sustentat per opus pietatis egenum.
Azymus hinc panis adiungi debet ad esum:
6545 azymus id panis opus est, quod gloria uana
tamquam fermentum minime corrumpit, et illud,
ut prosit sumpta caro Christi, debet adesse.

6517 et A¹pc, Gz: Ut K: ? R (membrana scissa uocabulum perit)

6519 sed R1 s.l.: sunt Rac

6521 non R(1): cum Rac

6522 uitetur R, Gz(txt): uitentur Gz(aph)

6532 cinctus R2: .inctus Rac

6545 id Gz: is R

6520 Matth. 7,13-14; Luc. 13,24.
12,11.

6521 Rom. 8,18.

6530-43 Exod.

6544-49 Exod. 12,8.

- Agrestes assunt lactucae, quando reatus
 nostros dissoluit contritio cordis amara.
- 6550 Uespera, qua coepit oblatio, non nisi sexta
 est praesens aetas, finis seu uespera mundi.
- 110r Nox, in qua carnes assari praecipuntur,
 est praesens saeculum, culpa caligine factum
 obscurum quasi nox, inspecta luce perenni.
- 6555 Est aenigmatica, uelut in speculo, modo per spem
 uisio perque fidem, non per speciem neque per rem,
 ut comprehensua patriae plenissima fiet:
 cognoscemus ibi deitatem, sicut ab illa
 omnia secreta cordis noscente uidemur.
- 6560 Hic nemo poterit faciem comprehendere Christi,
 quae deitas semper est immutabilis in se;
 hic nemo cordis oculis penetrare ualebit,
 qualiter omnipotens Dominus sit trinus et unus:
 praesentis uitae fidei gratissima merces
- 6565 in patria sanctis dabitur comprehensio talis.
 Sed, stans in petra petraequae foramine Christi
 qui credit, quod homo crucifixus sit Deus, et quod
 de morte ad uitam, de terra ad caelica regna,
 ut, Patri compar, conregnet ei sine fine,
- 6570 transierit, Christi feliciter ipse fidelis
 posteriora uidet, naturam tempore factam,
 ex quibus, ad faciem uelut, ad caelestia scandet.
 Hic Christi facies haec antiquissima debet
 per gustum fidei comedi, faciem tamen, usque
- 6575 in patria fiat comprehensor, nullus habebit;
 huic noua cum Christi natura accesserit, omnis
 de Christi cessare uetus promissio debet
 aduentu, sicut per lucem tollitur umbra:
 per rem promissam recipit promissio finem;
- 6580 uanescent signa, quando signata coruscant;
 quando Deus soluit promissum, desiit esse
 110v promissor, coepit gratissimus esse solutor.
 Ante redemptoris aduentum uisio noctis
 est aenigmatica, post uisio dicta diei,

- 6585 sed comprehensiu censetur uisio lucis;
 uisio corporea deitatem non capit: ex quo
 spiritus est deitas, oculis non apta uideri,
 corporeis oculis deitatem nemo uidebit.
- Cum dissoluat aqua carnes et roboret ignis,
 6590 non fuit agnus aqua, uerum fuit igne coquendus,
 ut typicarentur Christi tormenta per ignem,
 non per aquam, per quae sic est solidatus, ut ultra
 effera mors in eo nil posset iuris habere,
 non, impassibilem factum, contingere poena.
- 6595 Non crudus comedi paschalis debuit agnus,
 non decoctus aqua: sic a nobis neque credi
 debet purus homo Christus, nolentibus illum
 pensata coquere deitate sua, neque, Plastes
 qualiter effectus sit homo, ratione requiri
- 6600 humana, cum corrigiam dissoluere Christi
 non queat humana sapientia, sic aqua dicta,
 sicut furtiua, quae dulcior esse uidetur.
 Decoquitur, quod discutitur subtiliter: unde
 credi, quod fuerit Deus incarnatus, oportet;
- 6605 qualiter haec fuerit facta incarnatio, quamuis
 corde sagax uigili, sapiens inquirere cesset.
 Istud discutere prohibemur, credere iussi.
 Montem praecipitur lapidari bestia tangens:
 Per cor scandat homo! Deus exaltabitur, ut, quo
- 6610 celsius iste uolet, uideatur celsior ille.
 Coctus in igne agnus comedatur, ut omnia Flatu
- 111r dispensante sacro credantur facta fuisse.
 Sunt caput atque pedes ac intestina uoranda:
 in Christo deitas sublimior est caput agni;
- 6615 pes notat humanam naturam, iure minorem;
 sunt intestina Christi mysteria tecta.
 Deuorat ille caput, qui credit corde fideli,
 quod Deus existat Christus, qui cuncta creauit;
 deuorat ille pedes, sacra qui uestigia Christi

6586 corporea *RI*: corpora *Rac*

6590-96 Exod. 12,9. 6600-01 Marc. 1,7; Luc. 3,16; Ioh. 1,27. 6601-02
 Prov. 9,17. 6608 Exod. 19,12-13; Hebr. 12,20. 6609 Psalm. 63,7-8.
 6611-13 Exod. 12,9.

6620 humanos eius actus imitando requirit;
 intestina uorat agni, qui nubila uerba
 aure bibit uigili mandataque mystica Christi.
 Sic festinanter comedet, mysteria Christi
 cognoscens auide, mandata libenter adimplens,
 6625 quatenus ad patriam, cum sit peregrinus, anhelet,
 ne locus in patria perdat, si mora fiat
 et mandata Dei tardet complere uiator.

Agno non debet sumpto remanere quid usque
 mane: penetrare Christi mysteria cura
 6630 curemus uigili tenebroso tempore uitae
 praesentis, ne, cum uenturi mane diei
 fulserit unius, quem numquam uespera claudet,
 torporis nostri teneamur pendere poenas.

Igni post esum sunt tradita quaeque reperta:
 6635 sic occulta Dei, quae non penetrare ualemus,
 non contemnamus quasi non credenda, sed igni
 cuncta penetranti tradantur Pneumatis almi.

Quem dictas uigili scrutantem corde figuras
 ultra uexare fidei dubitatio posset?
 6640 Quis non quamplura censeret friuola uerba
 historiae, si non de Christo scripta fuissent,
 111v si non sensus eis inclusus mysticus esset?
 Quae de paschalis agni lex continet esu,
 quomodo praeciperet Dominus, nisi mystica sciret?

6645 Quamuis non uetitus diuina lege fuisset,
 quis uellet uesci de crudis carnibus agni?

Hinc se uenisse dixit non soluere legem,
 sed complere, Iesus; quia spiritualiter illam
 impleri docuit, per eum quoque gratia facta est,
 6650 qua lex impletur. Quae sic grauis extitit ante
 et sic dura fuit, ut totam nemo tenere,
 nemo complere, nemo tolerare ualeret;
 sed Moyses sedit in petra, lexque quieuit
 in Christo lapide (quem septem dona propheta

6623 comedet *R(2)*: comedit *Rac*

6623 Exod. 12,11.

6628-29 Exod. 12,10.

6631-32 Zach. 14,7.

6634 Exod. 12,10.

6647-48 Matth. 5,17.

6653 Exod. 17,12.

6653-54

Eph. 2,20.

6654-55 Is. 11,2; Zach. 3,9; 4,10; Apoc. 5,6.

- 6655 signantes oculos septem conspexit habere:
 hic de monte sine manibus lapis absque uirili
 quolibet est opere caesus, qui creuit, adusque
 mons fieret grandis, ad quem gens confluet omnis);
 hinc Aron dictus, cum sacri Pneumatis igne,
- 6660 Hur dicto, grauia legis mandata leuauit,
 dicta manus Moysi, reserans et Flamine sacro
 illustrans hominum mentes, ut sugere noscant,
 discant extrahere, norint emungere fructum
 de foliis, mel de petra, de cortice sucum,
- 6665 ex duris oleum saxis, ex osse medullam
 ac intellectum sacrum cordisque palato
 dulcem de uerbis antiquae legis amaris.
 Sed cum uelari iam constet grana salutis
 uerborum paleis fidei praestantia robur,
- 6670 quis, quantam curam seruis impenderit Auctor
 noster ab antiquo, uigilanter mente reuoluens
- 112r non, quantas possit, grates exsoluere curet,
 non respondere, quibus obsequiis queat, etsi
 non paribus, tantis meritis feruenter anhelet?

6662 sugere *Th*, *Gz*: *suggere R*

6656-59 Is. 2,2; Dan. 2,34; Mich. 4,1.

6659-61 Exod. 17,12; Hebr. 5,4.

6663-65 Deut. 32,13; Psalm. 80,17.

LIBER XI

- 6675 Sicut erat Christi typus agnus, sic erat haedus:
ne quis de uenia desperet, prodiit Auctor
ex iustis agnus, ex peccatoribus haedus,
non peccatricem carnem, qui tollere uenit
peccatum, sed ei similem dignatus habere.
- 6680 Hinc hoc nomen 'homo', si culpam denotet, ut sit
solus peccator homo, Christo, prorsus ab omnis
peccati macula mundo, non congruit; unde
se uermem dixit, coitus sine semine natum,
non hominem, culpae cuiusquam puluere tactum;
- 6685 sic habitu uisus ut homo, quia carne repertus
est peccatori similis, qui, diues in unum
et pauper, Deus et homo, peccati fuit omnis
expers, et non est dolus eius in ore repertus.
Cum Christi gemina fuerit substantia, Christus
- 6690 una fuit tantum, deitas, non altera, quippe
humanam tantum naturam participauit:
hinc 'habitus' nomen proprie sortita probatur.
Non sic exposita quem dicere littera cogit,
hic 'Iesus est homo' quod habitum tantummodo nomen
- 6695 hoc 'homo', non speciem de Christo praedicet ullam;
sic errauerunt, qui sensus tangere micam
non curauerunt, uerborum cortice sumpto,
ob Damasceni praesertim uerba Iohannis:
'in Christo speciem communem sumere non est'.
- 6700 Non tamen infectus fuit hoc errore Iohannes,

6693 littera *Rpc*: ditte *Rac*

6675 Exod. 12,5. 6678-79 Rom. 8,3. 6683-84 Psalm. 21,7. 6685
Phil. 2,7. 6686-87 Psalm. 33,7; 39,18. 6687-88 I Petr. 2,22.
6694 *sch.* 'Christus est homo' de hac est multiplex opinio, hic ponit unam.
6698-99 Ioh. Dam. De Fide Orth. III, 3 (PG 94: 994A) *apud* P. Lomb. III,
2,1,3. 6699 *sch.* Haec sunt uerba Iohannis Damasceni.

- si rectum sensum, non deuia uerba sequamur:
 112v de Christo licet haec species dicatur, eodem
 communique modo nullatenus attinet ipsi
 et cuius homini, qui tantum purus habetur;
 6705 non sic naturam Christi complectitur omnem,
 non sic est totum Christi, cum sit Deus, esse,
 ut totum alterius hominis cuiuslibet esse;
 non sic in Christo diuina humanaque iunctae
 naturae fuerant, ut ab illis tertia surgat,
 6710 surgit ut ex anima species et corpore iunctis;
 non in eo quod homo, sic 'quis' Iesus est, uelut est 'quid':
 in quouis alio species et 'quem' facit et 'quid'.
 Qui speciem dici de Christo, cruda secuti
 uerba, negauerunt, quamuis, ob carnis amictum
 6715 ac animam sumptam quod homo Iesus esset, aperte
 astruerent, tamen ex anima cum corpore sumpta
 quicquam constitui, quicquam constare negabant.
 Quorum iudicio, licet esset homo, licet ore
 proferret Christus aeterna uerba salutis,
 6720 non animal, non risibilis, ratione locutus
 est animae carnisque simul, quamuis nihil esset
 ex ipsis, non ob animam solam neque carnem,
 cum per se neutra queat absque iuuamine fari;
 sed quis homo posset perpendere, quomodo, si nil
 6725 ex ipsis esset, proferri sermo ualeret?
 Ut dicunt, est Christus homo, sed non homo, qualis
 quilibet ex anima constans et corpore purus;
 aequiuoce sumi sic constat nomen ab ipsis;
 quare debet 'homo' concedi et 'non homo Christus':
 6730 sed quis praesumat hoc affirmare fidelis?
 Taliter exponunt 'quod erat de uirgine natum',
 113r quod res nata Iesus fuerit ratione receptae
 naturae, large tamen hoc 'res' nomine sumpto.

6701 rectum *RI*: rect.. *Rac*

6718 esset *R(1)*: esse *Rac*

6731 erat *R*: erit *Gz*, *Lucam 1.35 respici opinatus*

6702 *sch.s.l.* (species) Homo.

6704 *sch.s.l.* (purus) Homo.

6710 *sch.s.l.*

(species) Homo scilicet.

6712 *sch.* Non facit Christum 'quem', quia ipse est

deus et homo, facit tamen 'quid'.

6731 *Matth.* 1,20.

- Sic, quae scriptura tradit roburque ministrat,
 6735 per se nituntur exponere, cetera pellunt.
 'Est rationalis animae ratione Creator,
 non rationale; sic corporeus, licet idem
 non sit corporeum; non est animal uelut omnis
 purus homo, non risibilis': cum talia nusquam
 6740 laudet scriptura, contraria prorsus eorum
 iudicio, non formidant quasi falsa negare;
 non tropus extendi consuevit, sed tolerari.
 'Est aliquid Christus in eo quod homo, quia, sanctam
 semper participans animam cum corpore mundo,
 6745 naturae Iesus est alicuius ob haec duo sumpta':
 sic uitare student feriens anathema negantes,
 quod Christum faciat aliquid susceptio formae
 seruilis, quasi seruiret tantum uice uestis;
 sed cum discordent a sensu, quomodo sola
 6750 excusaret eos fallax concordia uocum?
 'Naturam Genitus habet humanam'; sed habere
 quo posset, si non deitate Creator haberet?
 hinc 'habet' hoc uerbum deitatem copulat illic,
 non habitum; quare 'Iesus est homo' quomodo posset
 6755 hic habitus dici de Christo, cum, uelut ipsi
 tradunt, 'esse hominem' sit idem prorsus quod habere
 humanum corpus, animam quoque sicut amictum?
 Totus ad infernum descendit tempore mortis,
 totus et in tumulto scriptura teste quieuit:
 6760 sic partes habuit, integrales tamen, ex quo
 non subiectiuas, constans ex partibus ipsis.
 113v Assumpsit Christus animam, sed corpore clausam
 et sic unitam; quae sedes, quis locus esset
 infusae corpus, si non unita maneret?
 6765 unio quid faceret, si nil producere posset?
 - quod nisi Christum nil posset producere, constat.
 Numquam deposuit animam Uerbum neque carnem,

6742 extendi R2: excendi Rac

6757 amictum Ga. Gz(app): amictu R. Gz(txt)

6736 sch. Sic dixerunt. sch.s.l. *erasum* (rationalis) una uox illegibilis. 6742
 sch. Nota. 6753 sch.s.l. (hinc) Ideo. 6760 sch. Non uerae integrales.

- ex quo suscepit; quare disiunctio carnis
ac animae mortem produxit, et unio uitam.
6770 Qualiter ob corpus animam sociata creata
uixisset uita, si non unita fuissent?
non potuit uiuus et mortuus insimul esse;
ut mors aduenit, cessit contraria uita.
Qualiter occidi uel laedi posset in illis,
6775 si non ex ipsis Christus quasi partibus esset?

- Dici concedunt alii generaliter omnes
de Christo speciem; sed non modus omnibus idem
est concedendi. Quidam, quod sit duo, tradunt:
nam Deus aeternus et homo, qui tempore coepit;
6780 simplex, compositum; Plastes et plasma; Creator
atque creatura; qui condidit Auctor et actum;
immortale manens et quod mortale creatum est;
immensum cuncta transcendens atque locale;
assumens Deus et assumptus homo; licet omnis
6785 expers peccati, nulli peccata relaxans,
nullum iustificans, nulli caelestia donans,
non genitus Patre sed casta uirgine matre,
non perpes, non omnipotens, non maximus, etsi
existat Patris aeterni sine matre perennis
6790 Filius, omnipotens, summus summeque benignus;
quamuis 'assumptus homo' terminus iste perennem
114r numquam supponat, sed tantum tempore natum,
Filius aeterna sic est essentia, uerum
ipso supposito numquam supponitur illa:
6795 hinc homo compositus non est essentia simplex,
quamuis, qui semper est simplex, Filius et sit
hic homo compositus ac haec essentia simplex.
Est assumptus homo 'Genitus Patris' (ut tamen istud
supponat nomen 'Genitus', quem 'Filius' istud

6798 istud R2: illud *Rac*

- 6767-68 Aug. in *Glossa super Ioh.* 10,17 (ex *Tract. in Ioh.* XLVII, 10) *teste* Ioh. Cornubensi in *Eulogio* 18. 6780 *sch.s.l.* (simplex) In eo quod deus. *sch.s.l.* (compositum) In eo quod homo. 6782 Aug. *Sermo* 127,6,9 (PL 38: 710); *cf.* Ioh. Cornubensis in *Eulogio* 17. 6791 *sch.* Homo assumptus.

- 6800 nomen supponit), sed non 'genitus Patre', quando
 nil adiectiue supponit dictio sumpta.
 Substantiuato sic isto nomine 'Summus'
 est assumptus homo Summus, non quando tenetur
 dicta adiectiue consueto dictio more;
- 6805 causa sufficiant exempli nomina pauca,
 iudicii siquidem de pluribus est tenor idem.
 'Est assumptus homo Deus': hoc nomen 'Deus' iste
 terminus 'assumptus homo' restringens facit illic
 pro Patris aeterno Genito supponere tantum;
- 6810 et, quamuis 'assumptus homo non sit Pater', 'ipsum,
 qui Pater est, non esse Deum' non prouenit inde,
 quippe 'Deum' nihil hic Genitum supponere cogit.
 'Unus homo solus, genitus de Patre perenni
 non fuit assumptus': uelut hi dicunt, 'homo' nomen
- 6815 istud supponit etiam pro perpete Nato,
 et, licet assumptus non sit, nihilominus idem
 est assumptus homo, natus de uirgine matre;
 nec tamen assumptus et non assumptus, et una
 non sic et simplex et compositus fuit idem.
- 6820 Ut dicunt isti, 'stellas puer iste creauit'
 per 'puer' hoc nomen non hic supponitur ortus
- 114v de sola matre, sed solo de Patre natus.
 Filius aeternus quamuis assumpserit istud
 compositum, quamuis etiam persona sit ipsum
- 6825 compositum, cum sit assumens Filius ipsum
 assumptum, non personam quamquam tamen inde
 Filius assumpsit; sed, sicut Hilarius almus
 edocuit, cuius numquam sententia mutat,
 sicut et ecclesia credendo tota fatetur,
- 6830 personam absumpsit et naturam sibi iunxit.
 Sed nisi conueniat huic, quicquid conuenit illi,

6823 Filius: a sinistra parte litteram o additam habet R

6826 quamquam R2 s.l.: om. Rac

6828 numquam R1: nusquam Rac

6820 Fulgentius Rusp. Sermo 4,8 apud P. Lomb. III, 12,1,2. 6826 sch. Quia non assumpsit aliquem hominem. 6827-30 Re vera Faustus Reicensis in De Spiritu S. II, 4; quod dictum a Concilio Francofurtensi (anno 794) citatum est (MGH, Legum Sectio III, Tomus II, 1 p. 150). 6830 sch.s.l. (naturam) Humanam.

- qualiter hic esset, a quo distinguitur, ille?
 'Surrexit; non est hic' casta uirgine natus,
 hic et ubique tamen est Natus Patre perenni;
 6835 hic assumptus homo mortalis tempore coepit,
 immortalis erat aeternus Conditor ille.
 Terminus iste 'Dei Genitus' uel 'Filius' horum
 iudicio genito quoque matris congruit almae:
 Filius inde Dei 'crucifixus' dicitur, inde
 6840 'afflictus grauibus tormentis', inde 'sepultus'.
 Ista Dei Genito tamen attribuenda quibusdam
 intuitu geniti felici matre uidentur:
 unde Dei Genitus dicendus iure uidetur
 'assumptus', sicut 'crudeli morte peremptus';
 6845 assumptoque homini simili ratione, perennis
 quae Geniti propria sunt, attribuenda uidentur,
 ut dicatur homo purus, de uirgine natus,
 'omnipotens, summus, perpes, peccata relaxans',
 sicut Patre Deo Generatus dicitur esse
 6850 'poenis afflictus, mortem perpressus amaram'.
 Si fuerit purus homo natus uirgine, semper
 115r Patre Deo minor, omnino par esse nequiuit;
 sic mentiretur perhibens scriptura, quod esset
 impar seruili forma deitateque compar.
 6855 Augustinus ei nomen ratione receptae
 formae collatum nomen super omne docebat.
 Assumptus dicat 'ego sum, qui cuncta creauit,
 Abram praecessi, sum cum Patre Filius unum'
 (constat dixisse ueracem talia Christum):
 6860 hoc pronomen 'ego' quem demonstrare ualeret
 ni prolatores casta de uirgine natum?
 si demonstraret Genitum Genitore perenni,
 uerbi non Uerbum prolator, nuntius esset,
 sicut 'ego sum qui sum' uerborum fuit horum

6864 sum *primum R1 s.l.: om. Rac*

6833 Matth. 28,6; Marc. 16,6; Luc. 24,6. 6853-57 Phil. 2,6-9; Aug. Contra
 Max. I, 5 (PL 42: 747) et II, 2 (760) *apud* P. Lomb. III, 18,3,2; Fulgentius Rusp.
 De Fide ad Petr. 2,19 *apud* P. Lomb. III, 5,1,6 (*Lombardus hanc auctoritatem sub nomine
 Augustini affert*). 6856 *sch.* Nomen quod est super omne nomen. 6857-58
 Ioh. 1,3; 5,19; 8,58; 10,30. 6864 Exod. 3,14.

- 6865 prolator non ipse Deus, sed nuntius eius.
 Quamuis haec uera sit 'ego sum Conditor orbis',
 haec est uera tamen 'ego non sum Conditor orbis',
 Messias uerba si solus proferat ista.
 Ista 'Iesum Iesus assumpsit', proprium quia nomen
 6870 congruit utrique, concedi debet ab illis.
 A nato matris si Natus Patre perenni
 secerni posset, fieretque, maneret eodem
 compositum nexu, partes retineret easdem,
 quas prius, et Christus non esset, ut extitit ante;
 6875 alter, quamuis non differret partibus, esset.
 Christus in aeternum manet, ut scriptura fatetur;
 sed proprie natus de uirgine dicitur 'Unctus',
 qui mortem passus, quando de carne solutus
 spiritus eius erat uitalis, desiit esse.
 6880 Scriptura teste nemo conscendit ad arcem
 caelorum, nisi qui descendit, Christus; at ortus
 115v uirgine purus homo numquam descendit; et inde,
 cum non sit membrum, nec conscendisse uidetur:
 solus conscendit et totus Christus, et inde
 6885 nulli cum capite conscenderunt nisi membra -
 quis caput auderet Messiam dicere membrum?

- Tertia succedens sententia, cónsona sacris
 scripturis, uera proponens, falsa refutans,
 uitans absurda, firmis rationibus utens,
 6890 maiorem meruit sibi conciliare fauorem;
 Haec est, quod Patris aeternus Filius unum
 solum permaneat, quamuis inceperit esse
 uerus homo, constans animato corpore, sacro
 Flamine conceptus, de sancta uirgine natus.
 6895 Nec, quia conceptus uel natus Pneumate sacro,
 filius eius erat, ut 'aquae' non dicitur, immo
 'filius ecclesiae', qui natus aqua fuit ante;
 filius econtra non 'natus' dicitur ullus
 patris adoptiui; sic dicitur usque 'Gehennae
 6900 filius' is, qui non fuerat generatus ab illa,
 sed propter grauia peccata paratus ad illam.

Conceptus Christus hinc Flatu dicitur almo,
 quod per eum fuerit Christi incarnatio facta,
 ipsius siquidem fuit auctor Spiritus almus,
 6905 ut Pater, ut Genitus, cum nil agat ex tribus unus,
 si non omnis agat, si non sit quilibet auctor;
 sed quoniam Geniti fuit incarnatio grandi
 dono facta Dei grandique Auctoris amore,
 almo Spiritui solet attribui, quia donum
 6910 est et amor Patris et Nati Spiritus almus.
 Virgo creaturam genuit, sed quaelibet illam
 116r fecit persona, non solus Spiritus almus:
 haec Augustini sententia uera propinat.
 Quod fuerit Christus ex Dauid semine factus,
 6915 asseruit Paulus, ut constet non opus ullum,
 ut generaretur, interuenisse uirile;
 quamuis uir possit hominem generare, quod ipsum
 uir possit facere, falsum patet omnibus esse.
 At tamen illa caro, quam formauit Deus auctor,
 6920 in corpus Christi uenit de semine Dauid.
 Ob carnem quamuis in primo patre fuisset,
 non, sicut quiuis alii, peccauit in ipso,
 a quo descendit Iesus absque libidine solus:
 inde Leui, non ipse, fuit decimatus in Abram,
 6925 quamuis in lumbis ipsius uterque fuisset.
 Quomodo conciperet, felix edocta Maria
 credens consensit ex dono Pneumatis almi,
 moxque superuenit in eam, qui uenerat ante
 culpam contractam tollendo, Spiritus almus,
 6930 ipsius mundam mundans a fomite carnem,
 quatenus a primis liberrima motibus esset;
 et sic ex eius formauit carne Creator
 humanum corpus, animamque creauit et ipsi
 infudit, Genitusque simul coniunxit in unam
 6935 ambo personam sibi, quatenus et Deus idem
 esset perfectus et homo perfectus in aluo

6912 persona *RI*: personam *Rac*

6936 aluo *Gz*: aula *R*

6911-13 Aug. Ench. 38 *apud* P. Lomb. III, 4,2.1.

6924-25 Hebr. 7,9-10.

6927 Luc. 1,26-38.

6914-15 Rom. 1,3.

uirginis, absque uiro conceptus Pneumate sacro.

Assumpsit corpus anima mediante Creator:
 prorsus compositum corpus prorsusque Creator
 6940 est simplex; anima, non simplex ut Deus et non
 ut caro composita, partim cum corpore, partim
 116v cum susceptore medians conuenit utrimque.
 Quomodo congrueret Platen cum corpore iungi,
 inter disparia tantum si nil mediaret?

6945 Unio 'corrigia' fuit a praecone uocata,
 et, sicut stabilem designat pes deitatem,
 sic animam caliga, sic carnem calceus exter:
 ad carnem Uerbi fuit unio gratior, ad quam
 soluendam dixit indignum se esse Iohannes;
 6950 quae fuit ad corpus animae, consueta reluctet.

Filius assumpsit duo componentia, corpus
 ac animam, non compositum, non partibus illis
 assumptis hominem productum: qualiter esset
 Filius assumens assumptum corpus? et idem
 6955 qualiter esset homo, si, sicut corpus, is esset
 assumptus? potius ob componentia non est
 assumptum totum, quam propter quosque minutos
 portatos lapides lapidum portatus acruus.

Iuxta Ieronimum Deus est et non caro sumpta
 6960 Uerbum, sed factum caro; nam Deus est homo factus,
 ut designetur ibi totum nomine partis,
 intuitu cuius et homo comparuit esse.
 Ambrosius, quod sit aliud (cum sit Deus ipse)
 assumens, aliud assumptum (non homo, cum non
 6965 assumptus sit homo, sed corpus), dicit aperte.

Haec pariter Platen hominem susceptio fecit

6947 carnem R2 in ras.: ? Rac

6963 aliud: quod add. & exp. R1

6966 Hec R1: Hic Rac || pariter R(1): pariter Rac || hominem R(2): hominum(?)
 Rac

6944 sch. Id est deum pure simplex et corpus pure compositum. 6945
 Marc. 1,7; cf. P. Lomb. III, 2,2,2 cum nota editoris. sch.s.l. (praecone)
 Id est Iohannes. 6947 Psalm. 34,13; 59,10. 6948 sch.s.l. (quam)
 Corrigiam. 6959-60 Ps.-Hieron. Sermo de Assumptione 12 (PL 30: 139B)
 apud P. Lomb. III, 7,1,12; Ioh. 1,14. 6963-65 Ambr. De Incarn. Dom. Sa-
 cramento 6,61 (PL 16: 869B) apud P. Lomb. III, 7,1,12.

- ac hominem Platen, siquidem susceptio fecit,
 ut uere posset dici, quod homo Deus esset
 et Deus esset homo; uerum non est homo factus
- 6970 Plates siue Deus, sicut Deus est homo factus.
 Esse incepit homo, qui non inceperat esse,
- 117r Filius aeternus Patris; sic coeperat esse
 compositum, quod non inceperat esse; sed eius
 ambae coeperunt partes nihilominus esse.
- 6975 Partes sunt anima cum corpore, de quibus extat
 Christus homo: sic humanae conceditur esse
 naturae; uerum diuinae dicitur esse
 naturae, non quod Christi pars, immo quod ipsa
 sit Patris Genitus diuina essentia Christus.
- 6980 Hinc, ex naturis cum dicitur esse duabus,
 'ex' tropice ponit pro 'in' protheseos paralauge;
 aut illic potius 'ex' sumitur exigitue,
 quippe requiruntur, ut sit Deus ac homo Christus,
 naturae geminae, quamuis persona sit una,
- 6985 plasmatrix orbis deitas humanaque forma,
 uel deitas, anima, corpus, substantia trina,
 quae simul in Christo ueraciter esse fatemur,
 ut tres personas usiam credimus unam.
 Quando duas Christi naturas dicimus esse,
- 6990 tunc animam corpusque suum comprehendimus una;
 interdum gemina substantia dicitur esse
 in Christo, non trina, sed hoc 'substantia' nomen
 ad designandam naturam sumitur illic.
 Humanae non est perpes substantia formae;
- 6995 diuinae formae seruilis forma manenti
 accessit: non haec aut mutabatur in illam,
 aut naturarum quaeuis conuersio facta est;
 est unita tamen diuina essentia carni,
 sic humanata, sic incarnata, secundum
- 7000 quam solam genita sumpsit Sapiencia carnem:
 his adiectiuus satis accessisse decenter
- 117v diuinae formae seruilis forma notatur.
 Non 'humana' tamen debet, non 'carnea' dici,

6967 hominem (hoīem) *R(2)*: ho..m *Rac*

6981 *sch.s.l.* (in) Scilicet.

- non 'uirgis caesa', non 'mortua', non 'crucifixa':
 7005 non uirgis caesus Genitus Patris atque peremptus.
 Quamuis sit facta Deitas factura, sit Auctor
 orbis factus opus, sit factus plasma Creator,
 simplex compositum, transcendens cuncta locale,
 Conditor aeternus homo mortem passus amaram,
 7010 non est 'facta' tamen diuina essentia factrix,
 non est fine carens ut origine 'mortua', non est
 simplex 'composita', non est immensa 'localis'.
 Non est 'humana', sed 'homo', substantia perpes,
 cum supponatur non ipsa per hoc 'homo' nomen,
 7015 sed Patris aeternus existens Filius ipsa;
 sic est 'compositum', sic est 'in tempore natum',
 sic est 'uisibile' simplex essentia, perpes,
 et nullis oculis carnalibus apta uideri.
 Haec 'assumptus homo' uox nugatoria crebro
 7020 occurrit, scripta causa breuitatis; et inde,
 quatenus 'humanam naturam' denotet, istud
 nomen 'homo' debet exponi, teste beato
 Augustino, quem sic exposuisse uidemus:
 'Forma Dei formam serui suscepit; utrumque
 7025 et Deus est et homo', siquidem Deus est in utraque
 forma, sic et homo. Natura hic nomine 'formae'
 sumitur; 'humana natura' nihil nisi corpus
 dicitur ac anima, quae tantum assumpta sciuntur,
 assumptum quotiens 'hominem' scriptura fatetur;
 7030 haec perscrutanti scripturas plana patebunt.
 Existens unum solum cum dicitur 'unum
 118r ac aliud', propter naturas dicitur unam
 ac aliam, non quod Christus duo sit, neque plura.
 'Quod Pater, est Christus'; 'est id, quod non Pater, idem':
 7035 non est inde duo; sic 'nunc est tempus, et illud

7006-7007 factura — creator R2 in ras.: ? Rac

7009 totum uersum scripsit R2 in ras.: ? Rac

7027 nichil nisi corpus R2 in ras.: ? Rac

7035 nunc Gz: non R

7014 sch.s.l. Signis appositis hoc et nomen iungenda esse indicatur. 7023-25 Aug.

De Trin. I, 7,14 apud P. Lomb. III, 7,1,11.

7032 sch.s.l. (unam) Scilicet.

7034 sch.s.l. (pater) Quia deus. sch.s.l. (id quod) Quia homo.

est nox', 'nunc tempus est, quod nullatenus est nox':
non ideo, quod sint duo tempora, prouenit inde.

'Est unum solum Christus, quod non Pater', et sic
excludit solas personas dictio 'solum';

7040 non ideo 'nihil est Messias, quod Pater', ex quo
sic deitas ut personae remouetur in ista.

Est aliquid Christus in eo quod homo; tamen istud
non est aut aliud, uelut, hac specie licet extet
Christus homo, non existit specie tamen 'iste

7045 aut alius', siquidem non sic descendere fas est;
sic est Petrus homo, specie non est tamen 'iste
aut alius' quisquam, sic est et quilibet alter.

Non in eo quod homo, descriptio conuenit ipsi
personae, uis discernendi summa secundum

7050 sumptam naturam sibi ne uideatur inesse.

Est Christus 'Deus et homo', non tamen est duo, quippe
usu sumpta semel repeti coniunctio debet;
aut adiectiue, quae substantiua sciuntur,
nomina ponuntur consueto more loquendi:

7055 qui sublimatus plures est nactus honores,
'rex' appellatur a nobis 'et comes et dux'.

Filius ex alia rursus genitrice renasci,
cum nil Omnipotens uanum uel inutile uel non
expediens prorsus possit, non posse uidetur;

7060 si tamen ex alia ponatur matre renatus,
et concedatur, cum Filius hic sit, ut ille,

118v qui prius est natus, erit hic albus, niger ille,
immo propinquus erit idem simul atque remotus,
idem Parisius simul et Romae, breuis idem

7065 et longus; quando uigilabit, dormiet idem;
quando laborabit, requiescet; quando sedebit,
stabit; quando pluet doctrinae uerba, silebit;
unus homo natus diuersis matribus esset,
uni congruerent soli contraria multa,

7070 sed propter partes diuersas, corpora plura

7058 nil *Rpc*: nichil *Rac* || uel non *R(2)* (non certe *R2*): ? (*una uox*) *Rac*

7064 Parisius *R*, *Gz(praef)*: Parisiis *Th*, *Gz(txt)*

7036 *sch.* Instantia argumenti.

- et plures animas, a Nato Patris in unam personam assumptas, ne sit nisi solus in illis omnibus aeternus Genitus de Patre perenni. -
 Quod nondum carnem Genitus suscepit, esto:
 7075 Natus Patris erit homo uerus, et ille homo non est; hanc pro gignenda concedas prole Mariae; sumpserit ex alia Genitus quoque uirgine carnem: idem Natus erit homo uerus, et ille homo nunc est. Sic concedendam simul esse uidetur utramque;
 7080 hinc aliquid Patris erit idem Natus, et illud non est; 'esse hominem' uere comitatur ad 'esse illud', ut esset 'homo' pariter, si existeret 'illud'; non erit hinc aliquid, quod non est; et quia falsum implicat, haud recipi uox nugatoria debet.
 7085 Esse tamen, quod erit, non incipiet, licet esse incipiet Patris aeternus Filius illud. - Seruili forma praesenti tempore sumpta est aliquid Christus, Genitoris imago, quod esse est uerum, sed non semper uerum fuit, ad quod
 7090 'esse hominem' sequitur, quod uerum coepèrat esse; illud ab aeterno quamuis durauerit, illud
 119r esse tamen coepit uerum nihilominus esse; est etiam Christus aliquid, sed quod Pater: illud esse fuit semper et erit uerum sine fine. -
 7095 Quamuis expediat fortassis talia scire, lasciuire tamen in talibus est logicorum.
 Impositum 'Iesus' est hoc nomen propter utramque naturam Geniti; quare Iesus est homo; uerum non indiuiduum speciei, cum Deus extet
 7100 omnem transcendens speciem, Iesus esse uidetur. Aut indiuiduum, si discretiua secundum quosdam sit forma, per quam discernitur eius subiectum semper alia re prorsus ab omni, non est in Christo, ne uel diuina sit eius
 7105 portio persona uel discernatur ab ipso. Aut, Genitus Patris si natus pluribus esset matribus in terra, cum non hominum magis auctus

7072 assumptas Gz: assumpta R, fort. recte

7099 sch. Quia species non (in R) facit ipsum 'quem' sed 'quid'.

- esset ob hoc numerus, sed natus uirginis huius
uirginis alterius et matris filius esset,
- 7110 et Patris aeternus Genitus simul esset uterque,
qualiter inuenies indiuiduum? nihil istum,
qui nullo prorsus differt, discernit ab illo.
Si propter plures animas et corpora plura
esse indiuidua sequeretur plura necesse,
- 7115 plura indiuidua Patris in se Natus haberet,
quod, uelut insolitum, sic absurdum nimis esset;
hic indiuiduum quis posset scire quid esset?
propria non huius est existentia, per quam
sic per se maneat, ut secernatur ab illo;
- 7120 nam si differret aliquo, non esset is ille.
Quicquid habet perpes Genitus Genitore perenni
- 119v natura, confert ex uirgine gratia nato:
et natus matre passus fuit, et Patre Natus;
est per naturam Deus alma uirgine natus:
- 7125 quod Iesus ex Patre sit natus, gratia confert;
est hominis natus aeternus, ut ex Patre Natus
mortuus, irrisus et saeua morte peremptus:
propter naturam susceptam talia possunt
attribuique solent Genito de Patre perenni.
- 7130 Sic matris nato Genitoris propria Nati
conueniunt, ab eo cum nullo differat iste.
Quamuis sit species, indiuiduum tamen esse
non sequitur, siquidem speciem contingeret esse,
non indiuiduum, si solus homo Iesus esset.
- 7135 Est Pater aeternus uel homo uel non-homo, sicut
est genitus uel non-genitus; non est homo, non est
filius: ergo Pater est non-homo non-genitusque;
non tamen hinc aliquid est, quod non est homo, quod non
est Genitus, cum, quod Pater est, sit homo, sit et eius
- 7140 Filius; immo aliquis est, qui non est homo, qui non
est Genitus: debet sic expositoria sumi. -
Ut deitas homo, sic deitas est non-homo: quippe
est aliquis, qui non uel homo uel Filius extat;

7121-22 Cf. P. Lomb. in Rom. (PL 191: 1311A). 7139 sch.s.l. (pater) Scilicet deus. 7141 sch. Huius scilicet 'pater est non-homo, non-genitus' (ad expositoria referendum). 7143 sch.s.l. (est) Deitas. sch. Pater nec est homo nec filius.

- non deitas aliquid est, quod non est homo. Quando
 7145 Filius assumpsit carnem, sic desiit esse
 non-homo: quippe prius deitatem terminus iste
 'non-homo' supposuit, ut pro deitate per ipsum
 supposita uere Deus esset non-homo, sic quid
 ens, quod nullus homo; post non-homo desiit esse
 7150 factus homo, cum non deitatem terminus iste
 'non-homo' supponat, cum sit deitas homo facta;
 120r et tamen, ut dictum est, deitas est non-homo, uerum
 ut quem supponat hoc nomen 'non-homo', non quid.
 Ut Pater, ut Pneuma sacrum, sic Filius esset
 7155 non-homo, si deitas appellaretur ut ante.
 Sed non sufficiens ratio tamen ista uidetur:
 incarnata quidem deitas est, non tamen inde
 est incarnatus Genitor nec Spiritus almus.
 Quamuis iudicium dulcescat tale quibusdam,
 7160 est aliis aliter uisum. Sic 'non-homo' nomen
 infinitatum dicunt supponere, sicut
 istud nomen 'homo'; sic 'non-genitus', uelut eius
 finitum 'genitus'. Hinc non est non-homo Gignens,
 quamuis non sit homo, nec non-genitus lapis, etsi
 7165 nullus sit genitus lapis; † aut non-homo Gignens
 est aliquis, qui non est Filius. † Hoc 'homo' nomen
 sicut supponit aliquid, sic 'non-homo' nomen
 istud supponit aliquid; sicut 'genitus' quem,
 sic quem 'non-genitus' tantum supponere debet:
 7170 'non-ago' sic remouet, 'ago' sicut copulat actum. -
 Cum sit homo deitas, hinc non est non-homo: quippe
 non aliquid deitas est, quod non est homo. Quando
 non assumpta caro fuerat, deitas fuit 'iste
 non-homo'; sit, quod sic demonstretur Deus: at non

7144 Non *Rpc* (N a rubricatore addita, o *R1*): ? (fort. n̄ atramento scriptum, sed plane eu-
 sum est) *Rac*

7164 nec *R1*?: fort. non cum nec suprascripto *R1* prima correctione, non *Rac*

7165-66 lacunam post aut statuerunt *K*, *Gz*; aut < si > non-homo (Gignens (sc. sit). est
 aliquid, quod non est Filius *Gz*(*app*))

7161 *sch.s.l.* (Infinitatum) Id est infinitum. *sch.* Secundum logicum hoc no-
 men 'non-homo' est infinitum, hoc nomen 'homo' est infinitatum. 7163 *sch.*
 Secundum hoc non ualet 'pater' non' est [[est]] homo, ergo est non-homo'.

- 7175 propterea Genitus Patris aeterni fuit 'iste non-homo', si Genitus demonstretur, quia non quem, uerum supponit quid 'non-homo' terminus iste; quare non Genitum tunc appellare ualebat. Demonstrare potest et non supponere, quando
- 7180 est adiectiuum, pronomen: sic Petrus 'istum' affligi sciuit 'hominem': sed non Petrus inde
- 120v affligi sciuit 'istum' (Iesus in cruce pendens demonstretur), habet siquidem supponere, sicut et demonstrare, cum per se ponitur, 'istum'.
- 7185 Sic, demonstrato Petro, specie Petrus 'iste' est 'homo', non inde tamen est specie Petrus 'iste'. Sic adiectiue positum nil copulat et nil supponit, sed eo fit demonstratio tantum; si substantiue positum supponeret, 'esse
- 7190 istum, non-hominem, Genitum' uerum fuit ante seruilem formam, sed ibidem terminus iste 'non-hominem' Platen supponeret appositue. - Est deitas genitus, est non-genitus, quia Gignens: tam 'genitus' quam 'non genitus' supponit ibidem
- 7195 tantum personam, designat proprietatem. Sit licet ingenita deitas, non copulat iste terminus 'ingenita' deitatem, ne simul esset Filius ingenitus, ex quo nil connotat, ob quod attribui Genito non posset terminus iste. -
- 7200 Quamuis supponat personam dictio 'missus', copulat usiam; quare non copulat eius infinitatum nomen 'non-missus' eandem; hinc persona Patris minime non-missa uidetur, missa licet non sit, cum non existat ab ullo.
- 7205 Quaedam praedicta nolunt admittere quidam: 'Filius aeternus non sumpta carne futurus est homo Christus; erit quoque compositum'; tamen 'illum'

7179 Demonstrare *Rpc*: Memonstrare *Rac* (*M scripserat rubricator*; cl *add. in mg. R(1)*, *idemque (?) deinde radendo et adscribendo M in D mutauit*)

7186 hunc uersum iuxta uersus 7185 & 7187 in *mg. scripsit R2: om. Rac*

7192 appositue *R1*: appositue *Rac*

7193 Est *R*; *E scripsit rubricator*, st *add. R(2)*

7184 *sch.* (istum) Scilicet hoc pronomen.

- concedunt esse, quamuis homo non sit, et 'illud'
 esse, licet non sit modo compositum, nec ad 'illud'
 7210 esse', quod, ut dicunt, semper uerum fuit, 'esse
 compositum' sequitur, quod uerum non erit ante,
 quam Genitus fuerit de casta uirgine natus.
- 121r Quippe relatiuo pure persona refertur,
 ut nil praeter eam dicant ibi posse notari;
- 7215 sed sic Natus erit aliquid Genitoris, et illud
 est genitum; sed nil erit idem, quod modo non sit:
 est ergo Natus aliquid genitum modo Patre,
 quod constat falsum, si nondum sit caro sumpta.
 Hoc tamen inualidum nequit infirmare sophisma
- 7220 iudicium firmum ualidis rationibus haerens:
 'non est, sicut erit, aliquid de Patre'; sed omni
 nuda relatiua est respectu dictio tali;
 sic denudata latitans deceptio lucet.
 In multis simile reperitur: 'cras erit ista
- 7225 peccatrix anima iustum'; licet ipsa sit 'illud',
 non tamen est 'iustum'; uelut haec erit adueniente
 iustitia 'iustum', quando seruilis herili
 accedet formae, qui nunc est 'ex Patre simplex',
 Natus 'habens aliquid partes' erit 'ex Patre natum'.
- 7230 Perspicuum satis est, nisi fallor, qualiter ista
 a praecedenti discordet opinio; magnos
 utraque fautores meruit; cui quisque fauere
 amplius artetur, quia non definitio, penset.
 Ut legitur, Christus orauit, ne Pater ipsi
- 7235 auferret Uerbum; sed non oratio Christi
 uel potuit uana uel ridiculosa fuisse;
 quare seiungi potuisse uidetur ab ipso
 personam: sic purus homo potuit Iesus esse,
 sic per peccatum uitam uitare perennem,
- 7240 sic infernalis ignis tormenta mereri.
 Haec nimis absurda, non tantum falsa, sciuntur,

7214 dicant: eam *add.* & *exp.* R1

7233 artetur Gz: arcetur R

7234-46 Psalm. 27,1 *cum interpretatione* Augustini (Enarr. in Psalm. 27,1) a P. Lomb. *adducta* (Comm. in Psalm. 27,1; PL 191: 277D); *cf.* Ioh. Cornubensis in Eulogio 7.

- sed nimis offendunt aures cuiusque fidelis;
 121v hinc, ne cuiusquam uexet dubitatio mentem,
 non orasse Iesus, ut uerba sonare uidentur
 7245 'ne sileas a me, Deus' exponentia, porro
 Auctori Patri grates soluisse sciatur,
 certus ut omnisciens, ut cuius nuda serenis
 omnia claruerant oculis, ut cui nihil esse
 occultum poterat, quod felicissima Uerbi
 7250 unio cum sumpta forma nullatenus umquam
 esset soluenda; pro tanto munere dignum
 duxit condignas grates exsoluere gratus.
 Mortuus est Christus, quando fuit unio rupta
 corporis ac animae; licet esset, desiit esse
 7255 uiuus, risibilis, homo, desiit esse sacerdos.
 Uerum quando fuit homo uiuus, quando sacerdos,
 tunc fuit aeternus; sed quando desiit esse
 compositum, quae compositi ratione recepta
 tantum proprietates remanere ualeret in ipso?
 7260 non posset sociam mors uitam ferre creatam,
 non animatus erat in mortis tempore, corpus
 non habuit, quamuis unitum corpus haberet.
 Propria proprietates animae uel propria carnis
 non propter mortem Christo cessauit inesse:
 7265 ut Christus propter animam descendit ad Orcum,
 sic Christus propter animam, quae dona creata
 plene suscepit, ut Christus sic fuit Unctus,
 unde negat Christum pariter, qui denegat Unctum;
 sic rationalis animae ratione creatae,
 7270 sic fuit affectus carnis ratione colore,
 sic caesus, sic plagatus, sic saucius, etsi
 tunc impassibilis, tunc immortalis, ut ante.
 122r Quamuis corporeus, non corporeum fuit inde;
 sic non uisibile, sed uisibilis, fuit, aptus
 7275 cerni, non aptum; sic Christus non fuit unctum,
 non rationale; nullius quippe creatae
 proprietatis erat subiectum tempore mortis,

7265 orcum *Rpc*: ortum *Rac*

7269 creatae *Gz*: creata *R*

7246-47 *sch.* Uersus. 7255-57 Psalm. 109,4.

nec partem Christus animam uel corpus habebat,
ut sic proprietates animae uel corporis ipsi
7280 attribui merito deberet; sed, licet esse
desierant partes, quia Uerbo tempore mortis
sic permanserunt, uelut ante unita fuerunt,
scriptura attribuit ipsorum propria Uerbo;
sic dicti causam perquiras, quidque secundum
7285 quid dictum fuerit penses, ne nescius erres.

Non propter partes aliquas apud infera totum,
sed pro persona, tradit scriptura fuisse:
unita est anima Uerbo, quia Pneumatis almi
donis plena fuit culpaque immunis ab omni;
7290 unitum corpus, quod non putredinis ulla
corruptit macula, non corruptela resoluit;
at Uerbum patet unitum deitate fuisse.
Cui Deus uniri uoluit summe bonus, expers
inuidiae, faciens quicquid uult absque labore,
7295 quomodo donorum non esset prodigus auctor?
quomodo desereret susceptum? quomodo coeptum
non consummaret, tamquam mutabilis esset?
cui sit gloria, laus et honor per saecula cuncta!

7291 non (nō) R2: n. *Rac*

7298 Rom. 16,27.

LIBER XII

- Non caro Messiae fuit a deitate relicta,
 7300 sed fuit exposita, tamquam seiuncta, flagellis:
 quare quandoque tradit scriptura relictam.
- 122v Uerbo iuncta caro est anima mediante; sed inde
 a se disiuncta non sunt, quod tempore mortis
 corporis ac animae fuerit coniunctio rupta.
- 7305 Messias animam potuit deponere, sicut
 asseruit: numquid fuit illa creata potestas
 aut aeterna Dei? potuitne resurgere tali,
 si concedatur praedicta creata potestas?
 - sicut se dixit animam deponere posse,
- 7310 sic animam Christus se posse resumere dixit.
 At si dicatur aeterna fuisse potestas,
 numquid posse mori concedere debeo Patrem,
 praesertim Genitor cum carnem assumere possit?
 Nonne creata fuit Petro collata potestas
- 7315 subtractos morte reuocandi ad gaudia uitae?
 si data dicatur Petro iam dicta potestas,
 talem Messias potius quam Petrus habebat.
 Istud nonnulli Petrum potuisse negantes
 in facto tantum dixere fuisse ministrum;
- 7320 at baptizandi scriptura teste potestas
 conferri potuit, a saluatore retenta,
 quae non aeterna fuit, immo creata potestas,
 nominis existens tantum excellentia quaedam:
 noluit hanc seruis Christus concedere, ne, si
- 7325 baptizarentur homines in nomine Petri,
 nomine Pauli, nomine Marci, nomine Lucae,
 discidiis plena generari schismata possent;
 uel baptizandi fuit excellentia, quam non
 contulit et potuit dare Christus, quatenus esset

- 7330 unius melior baptismus, gratia maior,
 si melior pariter esset baptista minister;
 123r quam retinens Christus nulli conferre uolebat,
 ne sic baptismus alius uilesceret omnis.
 (Non baptizandi uirtus peccata remittens
 7335 conferri potuit: solus peccata remittit,
 solus iustificat Deus, ut creat omnia solus;
 illa Dei Deus est uirtus, aeterna potestas,
 quam mediator habet, quia Plastes, non quia plasma,
 diues, non pauper, Deus auctor, non homo seruus.
 7340 Quando pertransit Iesus, audit: quippe secundum
 formam compatitur seruilem; quando stat idem,
 dat lumen, quippe deitati congruit actus
 talis, quae stabilis sine motu permanet omni;
 exprimit hunc sensum declarans glosa Mathaeum.)
 7345 Ut scriptura docet, in nullo par ualet esse
 plasma Creatori, figulo factura perenni:
 hinc, quamuis anima Christi, cui Spiritus almus
 non ad mensuram datus est, sciat omnia, non est
 inde sciens tantum, quantum Deus ipsius auctor;
 7350 nam scit limpidius Deus omnia, quam sciat ipsa,
 scit plus perspicue, scit plasmate clarius Auctor.
 Christum, non animam, quis diceret omnia scire?
 non animae sine mensura data Pneumatis almi
 dona uiderentur, si quid nesciret, ut eius
 7355 nequaquam censi plena scientia posset,
 si data defectum quemquam sapientia ferret.
 Quamuis cuncta sciat, non cuncta potest: licet assit
 scire, tamen non est animam sibi posse creandi;
 non sua natura sic posse ut scire requirit;
 7360 omnia si facere posset, posset Deus esse.
 Patri cum Genito licet una scientia tantum
 123v infinita manens extet communis, ob illam,

7344 Mathaeum *Gz*(*praef*): matheum *R*: Matthæum *Gz*(*txt*)

7351 clarius *RI*: clarior *Rac*

7356 quemquam *RI*: quamquam *Rac*

7360 facere *Gz collato Petro Lombardo, Sent. 3 d.14 c.2 (40) n.1*: posse *R*

- quam propriam Christus habet, et quae tempore coepit,
 non scit limpidius, non est sapientior, et non
 7365 Patre suo quicquam cognoscit clarius inde;
 uno conspiciamus oculo, quaecumque duobus,
 clarior efficitur tamen ob duo lumina uisus,
 at secus est illic: infinitae nihil addit
 nec parit augmentum finita scientia Christi.
- 7370 Non animae sic sola scientia sufficit ad res
 condendas, sicut Auctori sufficit orbis;
 quippe Dei scire Deus est et posse creandi
 efficiens causa, rebus dans omnibus esse.
 Nequaquam Christi uelut aucta scientia creuit,
 7375 profecisse tamen quandoque refertur in ipsa,
 sicut in aetate, quia, quo maior fuit aetas,
 esse uidebatur eius sapientia maior;
 sub tali sensu didicit, quando fuit infans,
 quippe uidebatur didicisse, sed omnia nouit.
- 7380 Saepe aliquid propter alios de Plaste refertur:
 'nunc, quod ames Dominum, noui', notum quia feci
 hoc aliis, qui non nouerunt, ut Deus, ante;
 'illum nemo diem nouit, nec Filius ipse',
 non alios illum siquidem cognoscere fecit.
- 7385 (Artem scribendi nouit, non scribere, quippe
 innuitur quidam per uerbum corporis actus,
 quem membrorum expers non exercere ualebit.)
 Defectus animae, defectus corporis, ut se
 Filius utrumque uerum monstraret habere,
 7390 suscepit, passus ueros in utroque dolores;
 quamuis nil praeter animam caro sentiat ex se,
 124r est animae siquidem sentire, solent tamen illa
 attribui carni, quae non sine corpore possunt
 sentiri, uelut esuries, sitis atque dolores
 7395 plagarum, quos pro seruis susceperat Auctor.
 Tristities dolor est animae solius, et ipsum

7365 cognoscit *A*¹, *Gz*: cognosceat *R*

7388 Defectus *Th*, *Gz*: Afectus *R* (*A scripsit rubricator*)

7374-77 Luc. 2,52; Is. 8,4.

7381 Gen. 22,12.

7383 Matth. 24,36;

Marc. 13,32.

7394-95 Is. 53,4; Matth. 8,17.

7396-98 Matth. 26,31;

26,37-38; Marc. 14,27; 14,33-34; Ioh. 16,32.

- suscepit Dominus ob scandala discipulorum,
 non de morte sua, parienti gaudia menti;
 ad mortem tristem se, non de morte docebat:
 7400 non propter mortem Iesus ex ratione dolebat;
 ob mortem dolor exortus propassio sola
 extitit et minime rationem passio turbans,
 qua gaudens uoluit mortis tormenta subire.
 Praeterea timor est animae solius, et illum
 7405 Messias habuit, sed erat propassio tantum,
 propter quem ratio non turbabatur in ipso;
 naturalis erat sine culpa, non timor, ob quem
 non uoluit dirae mortis cruciamina ferre.
 Appetiit Paulus mortem, sed non fuit expers
 7410 cuiusdam, uelut horroris, de morte timoris:
 non potius timuit Dominus quam miles, uterque
 absque timore malo robustus fortiter egit.
 Sic intellectis scripturis tollitur omnis
 a sensu sola remanens discordia uoce;
 7415 nam timuisse negans non est contrarius illi,
 qui Christum tradit non absque timore fuisse.
 Defectus hominis suscepit non tamen omnes:
 nullos suscepit culpae, generaliter omnes
 suscepit poenae, quos nobis profuit et non
 7420 ipsum dedecuit pro nobis sumere Uerbum;
 non ab eo sumpta fuit ignorantia poena.
 124v Legem suscipere moriendi cuique necesse est,
 solus eam Christus suscepit sponte misertus;
 sicut tristitiam, sicut de morte timorem,
 7425 hanc de uiscosa natura quilibet alter
 conditionis habet contractae sorde reatus:
 hinc naturalis defectus lex moriendi est,
 nec naturalis defectus dicitur inde,
 quod de natura surgat contrarius; immo

7411 potius *R(2)*: potius *Rac*

7416 tradit *R(2)*: trahit *Rac*

7417 Defectus *Th, Gz*: Aefectus *R* (*A scripsit rubricator*)

7426 conditionis *R, Gz*(*praef*): condicionis *Gz*(*txt*)

7404-05 Matth. 26,39-44; Marc. 14,33; Luc. 22,43-44; Ioh. 12,27; 13,21.

7409 Phil. 1,23. 7425-26 Rom. 8,10.

- 7430 naturae uitio quod ei, quia semper adhaeret,
numquam detrahitur, nomen sortitur ab ipsa.
Ex ratione mori uoluit Iesus: utile nouit
acceptumque Patri; non mortem ferre, priori
aduersum uolito, uoluit ueraciter idem:
- 7435 'quod tu uis' inquit Patri, 'non quod uolo, fiat'.
Non tamen aduersa, sed erat subiecta uoluntas
illa uoluntati rationis; non caro mouit
bellum spiritui; ratio praeuenit in ipso,
sicque sequebatur carnis restricta uoluntas
- 7440 et commendata tamen a ratione magistra.
Non tulit arca Noe requiem turbantia pugnis,
sed seruauerunt illic animalia pacem. -
Quamuis in Christo ratio praecesserit, ordo
debitus affuerit, meritoria non fuit ipsi
- 7445 interior mortis declinatiua uoluntas,
cum non ad finem posset delira referri,
respicit ad finem siquidem, quicumque meretur;
non, uelut exterior Messiae quilibet actus,
sic fuit interior motus meritorius omnis,
- 7450 cum non uiuendi formam dare posset opertus,
ut fuit exemplum comparans actio uitae.
- 125r Cum non effectum fuerit sortita, probatur,
quod minime fuerit meritoria dicta uoluntas;
at tamen orauit, ut transferretur ab ipso
- 7455 tormentum mortis, cuius meritoria, sancta,
prudens omnis erat oratio, digna fauore:
uerum, quod petiit, magna ratione petendum,
non ideo petiit, ut perficeretur, ut ipsum
impleri uellet, sed ut exprimeretur habere
- 7460 humanam uere naturam nosque doceret
exemplo tali diuinum, quando malorum
asperitas grauior grauat, implorare iuamen
et mortis, quamuis deterreat aspera, si non
expediat fugere, patienter ferre grauamen.
- 7465 Sed sensus carnis orandi occasio quaedam
et quasi causa fuit: hinc, quod processerit eius
ex sensu carnis aduersa petitio morti,

- interdum legitur; sed nullum lectio turbet,
qui causam dicti ueram cognouerit esse:
7470 ex ratione Iesus uoluit se uelle cauere
mortem; non uoluit tamen ex ratione cauere,
quandoquidem mortis cruciatum sponte subiuit,
Messiae siquidem rationis nulla uoluntas
effectu potuit, uelut inconsulta, carere.
- 7475 Discipulos doluit passuros scandala, teste
scriptura; porro talem uenisse dolorem
ex ratione patet: ratio discernere tantum
scandala subtilis consueuit; non tamen illa
ex ratione Iesus uoluit non esse futura,
7480 cuius non potuit cassari firma uoluntas.
Pro se non habuit tamen ex ratione dolorem,
125v pro se non tristis, pro se non anxius umquam
ex ratione fuit, sed semper mente serena
iocundus, semper hilaris semperque quietus.
- 7485 Taedia, tristities in eo finita fuerunt,
ast infinita fuit exultatio mentis,
quare per nulla minui finita ualebat:
non mare deminuit modicae subtractio guttae.
Ob producendum fructum gaudebat, ob ingens
7490 supplicium geniti de morte Maria dolebat:
motu laetitia meruit motuque doloris;
nam fuit ille dolor quaedam compassio, uerum,
quando compassa, geniti fuit ipsa miserta:
sic uirtutis opus, cui libertas quoque fauit,
7495 ut solet, arbitrii, motus fuit ille doloris.
Ex ratione quidem talis compassio uenit,
quali non possunt animalia bruta moueri;
non tamen in tantum creuit compassio matris,
ut genitum uellet pia non incurrere mortem,
7500 qua genus humanum redimendum non dubitauit.
Quomodo de genito posset contraria uelle
ex ratione simul? quem de ratione uolebat
mortis perferre tormentum, quomodo uellet
de ratione quoque mortis uitare grauamen?

7487 nulla Gz: nullam R

7470 sch. Nota. 7475-76 Matth. 26.31.

- 7505 Non implenda fuit mortis dissuada uoluntas,
 immo refrenanda; tamen utilis et bona, quippe
 uerus homo per eam uere comparuit esse.
 Hic finis bonus est; porro finis malus esset,
 si non pro seruis redimendis mortuus esset.
- 7510 Non potuit melior fieri, non crescere donis,
 non iuxta meritum conscendere Christus, ab ortu
 126r conditionis habens sacri plenissima dona
 Flatus, perfectis semper uirtutibus utens.
 Excreuit numerus meritorum quolibet actu;
- 7515 nec potuit meritum tamen ultra crescere summum.
 Non impassibilis et cunctipotens Deus esse
 passibilis potuit homo perfectisque carere
 uirtutum donis; nec perfecte bonus esse
 nec praeter meritum potuit uirtutibus uti:
- 7520 est immortalis meritis eius caro facta,
 est impassibilis effectus spiritus eius;
 est exaltato nomen super omne tributum
 nomen ob abiectam mortem, quam sponte subiuit.
 Principio uitae meruit, quae tempore mortis,
- 7525 quantas in morte, uirtutes nactus ab ortu;
 existens aequae patiens, aequae bonus, aequae
 perfectus toto mortalis tempore uitae.
 Nunc impassibilis, nunc poena liber ab omni,
 nunc immortalis effectus, sanctior inde
- 7530 non est, quam fuerit, non est perfectior inde,
 non melior; numquid non inde beator extat?
 non contemplatur deitatem clarius inde,
 unde potest credi non inde beator esse.
 Sed quare uoluit mortis tormenta subire;
- 7535 in qua non meruit nisi debita saepius ante,
 quae per uirtutes solas conquirere posset?
 sed mortem Dominus pro se non pertulit, immo
 pro seruis a se plasmatis, quatenus esset
 susceptae sponte mortis tolerantia forma
- 7540 iustitiae seruis, aeternae causa salutis;

7505 dissuada *A*¹, *Gz*: dissuanda *R*

7512 sacri *Rpc*: sacris *Rac*

7522-23 Phil. 2,9; Hebr. 2,9. 7539-40 Hebr. 5,9.

- quatenus afferret praecedens gratia uitae
 126v praesenti meritum, sequeretur gloria uitae
 caelestis, numquam marcens retributio perpes. -
 Quod reseraretur Paradisi ianua seruis,
 7545 scribitur in morte tantum meruisse redemptor;
 sed, sicut mortem tolerauit, sic quoque carnem
 pro seruis sumpsit, sed et incarnatio Uerbi
 non minus apparet humilis quam passio Christi;
 hac fuit Omnipotens homo factus, et hac homo passus:
 7550 cur igitur non hac meruit mihi, quicquid in illa?
 Aut impassibilis, quando de carne soluta,
 effecta est anima, uel quando reddita carni
 atque resurgentis immortalis caro facta est:
 quae pars disiunctae fidei sit digna fauore
 7555 et potius uera censi debeat, omnis
 incertum sacra praeteriens scriptura relinquit.
 Christus passibili uestitus carne uiator
 talem discipulis porrexit tempore cenae;
 non impassibilis eadem potuit simul esse
 7560 totaque passibilis, in se contraria gestans,
 a se discordans, a se sibi dissona distans,
 tali dissimilis, qualis comparuit esse.
 Illa reseruata monstretur tempore mortis
 et locus ipsius: ibi numquid Christus in illa
 7565 carne fuit passus? numquid crucifixus ibidem?
 debet in his talis admitti dictio tantum,
 interior (non exterior) qua poena notatur:
 passus ibi, sed non crucifixus ut in cruce, Christus.
 Christi sanguis erat illic et desiit esse:
 7570 non tamen admitti debet, quod fluxerit inde.
 Quando resurrexit Christus, reffloruit eius
 127r glorificata caro, tunc omnis nescia poenae,
 tunc impassibilis, nequiens incurrere mortem,
 tunc agilis, tunc subtilis, tunc clarior astris.
 7575 Exsurrexisse se per palpabile corpus

7549 homo²: factus *add. & exp. R1*

7554 disiunctae *K: disiuncte R, Gz*

7566 his *A²pc, Gz: iis R*

- monstrabat Dominus; cum firmiter undique clausam
 accedens ad discipulos intrauit in aedem,
 quod refluoruerit caro glorificata, docebat.
 - Est corruptibile quoduis palpabile, teste
 7580 Gregorio: quare nec glorificata uidetur,
 quando palpata fuit a Thoma, caro Christi. -
 Ut remoueretur fidei dubitatio, Christus
 corpus corrumpi nequiens palpabile fecit.
 Ex uirtute Dei surrexit, quippe redire
 7585 a morte ad uitam naturae non habet ordo;
 non habitum repetit is, quem priuatio cepit,
 ex solito cursu naturae: quippe, quod isto
 more fit, ex causis trahit inferioribus esse;
 quae fiunt aliter, causis producta supernis,
 7590 censi proprie tantum miracula possunt.

- Quod defunctorum sit miraclosa futura,
 non naturalis, surrectio, multa perorant:
 Contra naturae cursum cognoscitur esse,
 ut redeant ad se seiuncta a corpore membra.
 7595 Non mors, non esset hominum surrectio, si non
 esset peccatum: quare non illa uidetur
 plus naturalis quam peccatum, sua causa.
 Absque nouo quoque mandato non illa futura est:
 nec naturalis ergo censenda uidetur.
 7600 Naturae non est homines ex puluere, uerum
 ex simili simile tantum producere (non bos,
 127v non asinus, sed ouis producitur ex oue tantum);
 corpora cum fuerint producta ex puluere iussu
 diuino, plus, quam sint, naturalia fient,
 7605 quae quauis poena, quouis languore carebunt.

7579 quoduis *R*: quiduis *Gz*

7582-7583 uel: Sed corruptibilem natura gratia talem / Incorruptibilem semper
 diuina reseruat *add. R3 in mg.*

7591 miraclosa *RI*: miraculosa *Rac*

7579-80 Greg. Hom. in Evang. 26,1 (PL 76: 1198A). 7580 *sch.* Omne natura
 palpabile natura (*rasura*) corruptibile (*fort. aut* naturaliter corruptibile *aut* natura
 incorruptibile *a.c.*). 7596 *sch.* Omne causatum sequitur suam causam secun-
 dum quod huiusmodi.

Ex Augustini reseratur dogmate, ueros
 ex uirgis factos serpentes arte magorum,
 a quibus est Daemon sic componentia prima,
 ut uirgae fierent colubri, mutare coactus
 7610 (non est censendus Daemon tamen inde creator,
 sicut nec factor segetum, qui semina iecit);
 obsequio sic angelico de puluere Plastes,
 si uellet, pariter homines producere posset
 per commutanda quoque componentia prima,
 7615 et naturalis esset productio talis;
 sed solo faciet homines exurgere iussu,
 uoce tubae, cuius omnes uirtute resurgent.

Princeps spirituum Iesus est archangelus illam
 uocem dicturus; aut est archangelus alter
 7620 eius mandatum complens eiusque minister.
 Est uox dicta 'tubae', quia percipietur aperte
 uox faciens rursus defunctos surgere. Prorsus
 nulla sequetur eam: fuit inde 'nouissima' dicta.
 Dicitur et 'clamor media de nocte' futurus;
 7625 nec 'mediam noctem' sumas pro temporis hora,
 sed, quando fiet, occultum sic erit, ut, quod
 fit media nocte, solet omnes saepe latere:
 unde 'dies Domini quasi fur ueniet', quia, sicut
 furis, sic eius aduentus quemque latebit.
 7630 Uel mediae noctis resonabit tempore clamor,
 quo primogenita percussa fuisse leguntur;
 128r idcirco non est aduentus iudicis hora
 dicta 'dies' propter splendorem temporis, immo
 propter consilia secretaque singula cordis,
 7635 quae tunc clarebunt et cunctis nota patebunt:
 quippe libri, sicut Daniel testatur, aperti
 cunctorum fient, quando continget operata

7606 dogmate *RI*: doamate *Rac*

7621 percipietur *Gz*: participietur *R*

7606-11 Exod. 7,11-12 *cum glossa* Augustini (Quaest. in Hept. Exod. 21 *apud* Gl. Ord. (PL 113: 203D-04A)). 7617-23 I Thess. 4,4-17; I Cor. 15,52; Ioh. 5,25-28. 7617 Psalm. 67,34. 7624 Math. 25,6. 7628 I Thess. 5,2; II Petr. 3,10; Apoc. 3,3; 16,15. 7631-32 Exod. 12,29. 7634 I Cor. 4,5. 7636-38 Dan. 7,10; Apoc. 20,12; Math. 10,26.

- quaeque reuelari, si non sint ante remissa;
 non in notitiam uenient peccamina cunctis,
 7640 quae cordis uera contritio texerit ante.
 Cunctorum cuncti gestorum tempore fient
 iudicii memores, quae sunt quandoque patrata;
 intuitu mentis uelociter omnia cernent
 ex uirtute Dei, testes sibi quique futuri,
 7645 an sint ob culpas damnandi morte perenni,
 aut ob uirtutes saluandi perpete uita.
 Non contristabit iustos memoratio talis,
 non erit ad poenam, non obfuscabit eorum
 laetitiam; potius gaudebunt, quod Deus ipsis
 7650 dignatus fuerit peccata remittere digna
 tormentis, si non essent dimissa, Gehennae:
 sic crebro memores sumus absque dolore doloris,
 et meminit poenae, qui poenam non habet inde.
 Quos Iesus inueniet uiuos, cum uenerit, etsi
 7655 exiguo spatio, quo deducuntur in eius
 occursum, cuncti morientur itemque resurgent;
 exsurrecturos affirmat apostolus omnes,
 nullos excipiens: sic, ut moriantur, oportet,
 qui uiui fuerint aduentus tempore Christi,
 7660 et surgant, ut sic surgant generaliter omnes.
 At tamen in melius non immutabimur omnes,
 128v in peius siquidem reprobis mutatio fiet:
 incorruptibiles surgent, quia semper habebunt
 nescia defectus cuiuslibet integra membra,
 7665 non impassibiles, quoniam sine fine dolentes
 immensas semper poenas patientur Auerni.
 Utrum cum uitiiis contractis tempore uitae
 praesentis misera reproborum corpora surgant,
 non Augustinus inuestigare uolebat;
 7670 quare uexaret homines incerta figura,
 quorum perpetua fiet damnatio certa? -

7646 ob *RI*: op (?) *Rac*

7658 nullos *RI*: n... *Rac*

7654-61 I Cor. 15,51; I Thess. 4,15-17.
 Lomb. IV, 44,4.

7667-69 Aug. Ench. 92 *apud P.*

- Non dolor extinguit animum, licet acrius angat:
 sic non consumet, quamuis uehementius urat,
 corpora Tartareus ingens interminus ignis.
- 7675 Nil deforme ferent sanctorum corpora, nil quod
 dedeceat, nil quod oculos offendere possit.
 Quicquid uera habuit hominis natura, resurget;
 nec crines capitis Christo testante peribunt:
 non, ut dedeceat, numerus concrescet eorum,
- 7680 sed, cum sufficiens fuerit, pars altera cedit
 in partem quamuis aliam formamque decentem;
 hoc Augustinus sensit docuitque futurum
 exemplo statuæ, quæ fusa refunditur, ut sic
 pulchrior eniteat: partem, quam turpiter ante
- 7685 in naso gessit, in uentre decenter habebit
 aut alio membro, quod eam collegerit apte.
 - Sed licet in statuis fiat mutatio talis,
 quas operatur homo: cum, quos Deus ante creauit,
 suscitet in carne solus, cur esset in illis,
- 7690 quando consurgent, mutari membra necesse?
 Unius capita sic essent plura futura,
- 129r atque manus esset habiturus quatuor unus.
 Omnis descendens ab Adam caro, quam cito coepit
 alterius fieri, protoplasti desiit esse;
- 7695 hinc non, quod solus protoplastus surgat, oportet:
 non in eo surget caro, quæ sua desiit esse.
 Quicquid abortiuus suscepit de patre foetus,
 in patrem surget, in matrem, quod fuit eius;
 sed per se surget, animatus qui fuit ante. -
- 7700 Quod fuit hic monstrum sine membris siue bimbembre,
 sic emendata natura surget, ut omnis
 defectus, omnis excessus forma sit expers,
 nil superexcrecat, nil formæ desit honestæ,
 nec speciem rara nec membra superflua laedant.

7672 Non *K*, *Gz*: *spat. uac. unius litterae + o RI: ? Rac* (*in spat. uac., quod rubricatori explendum relictum est, uocem non (ñ) atramento scriptam fuisse suspicamur; plane autem erasa est*)

7684 quam *Gz*: que *R*

7694 protoplasti *Rac*: prothoplasti *RI*

7678 Luc. 21,18. 7682-86 Aug. Ench. 89 *apud* P. Lomb. IV, 44,2,2-3.

- 7705 Donec pars fiat noua, qua priuatus ab ortu
hic aliquis numquam fuit integritate potitus
corporis, excrescet per se pars proxima carnis,
ut, quod praesenti uitae natura negauit,
exsurgat subito proprio de corpore membrum,
- 7710 sicut Adae costam subito Deus auxit in Euam.
Aetas, qua Christus obiit, mensura futura est
cunctis staturae: quantam quis habebat in illa
aut habiturus erat, tantam, cum surget, habebit;
exsurget breuior unus, procerior alter,
- 7715 staturae meta fiet tamen omnibus aetas,
qua Iesus assumptae persoluit debita mortis.
Exsurgent oculi, non per miracula facti
sed naturales, amissi tempore uitae.
Corporeis oculis patriae splendore beatis
- 7720 iuxta Gregorium deitatem conspiciemus;
porro, cum deitas sit spiritus, ipsius aptum
129v indicium quasi splendorem, nullatenus ipsam,
iuxta Augustinum cernemus lumine carnis.
E caelis sancti scriptura teste uidebunt,
- 7725 quomodo tormentis reprobi crucientur Auerni;
egredientur enim, non mutando loca, uisu
cordis uel uisu manifesto corporis, ut, quae
affligant reprobos Erebi cruciamina, cernant.
Hinc argumentum trahitur, quod ad ultima quaeque
- 7730 in patria ualeant uisu penetrare beati,
ut nihil ipsorum claris obtutibus obstet
et nusquam sistat percurrens omnia uisus;
numquid luminibus patriae splendore serenis
post tergum posita uelut anteriora uidebunt?
- 7735 Gaudia non minuet sanctorum uisa parentum
poena Gehennalis, quos prorsus nulla mouebit
tristities, nulla tanget compassio, uerum
laetitiam potius augebit, gaudia reddet
tanto maiora, magis exhilarabit agentes

7707 excrescet *Rpc*: excrescat *Rac*

7711-12 Eph. 4,13.

7719-20 Greg. Moral. XIV, 56-57, 76-77 in Iob

19,26-27.

7721-23 Aug. De Civit. Dei XXII, 29.

7724-25 Luc. 16,23; Is.

66,24.

- 7740 grates Auctori, quod conseruauerit ipsos
a flammis, quibus aspicient ardere parentes.
Uisa uindicta iustus laetabitur, atque
ad satiem talis erit omni uisio carni;
unde quidem teste Dauid laetabitur, inde,
7745 sicut testatur Isaiae sermo fidelis,
laetitiae satiem quiuis electus habebit.
Post mortem sanctis ordo perdurat amoris
non omnis, sed praecipuus, qui de Patre caeli
accipit initium, super omnia semper amando,
7750 et procedit ad hoc, ut proximus omnis ametur,
sicut se quisque dilector diligit ipsum;
130r sed non progreditur ad patrem carnis amandum,
quem nimis affligit intermina poena Gehennae,
cui non compatitur exsultans filius eius,
7755 quod reserante Deo caelos euaserit Orcum.
Ad reprobos positos in poenis ire beati
ex pietate uolunt, ut eorum uincula soluant,
sicut glosa super Lucam testatur aperte:
unde uidetur eis compassio mentis inesse;
7760 uerum dicuntur idcirco uelle beati,
quod nolunt, quoniam uellent, si uelle liceret.
(‘Optabam’, Paulus inquit, ‘pro fratribus esse,
ut saluarentur, anathema’; quod esset aperte
illicitum, si non ‘optabam’ taliter illic
7765 sumpserit: ‘optarem, si sic optare liceret.’)
Iacob uidisse caeli descendere ciues
exponens glosa, quod caeli ciuibus insit
ad nos infirmos compassio, uelle uidetur;
non quod eis insit, narratur inesse, sed inde,
7770 quod pietatis opus impendant, sicut inesset.
Uelle Dei sequitur addictus quisque beatus;
quod scit uelle Dei, tantum uult incola caeli;
nil in facturis sanctos latet utile scire,

7770 pietatis: Ip (?) *add. Rac (i.e. impendant hic scribere coepisse librarius uidetur)*

7742-44 Psalm. 57,11. 7745-46 Is. 66,24. 7756-58 Greg. Hom. in Evang. 40,7 (PL 76: 1308A-B) *in* Gl. Ord. *super* Luc. 16,26 (PL 114: 317A) *et apud* P. Lomb. IV, 50,6,2. 7760 *sch.* Soluit. 7762-63 Rom. 9,3. 7766-68 Greg. Ep. I, 24 (PL 77: 474B) *in* Gl. Ord. *super* Gen. 28,12 (PL 113: 154A-B).

- qui contemplantur factorem cuncta scientem:
 7775 quem uult puniri Deus, illi nemo beatus
 compatitur, sed uult omnis, quod uult suus Auctor;
 nam patitur, qui compatitur, nullusque beatus
 esset, cui pareret aliquam compassio poenam;
 nulla nouercari ualet ulli poena beato.
- 7780 (Sanctus habere stolam scriptura teste secundam
 appetit, et desiderio, ne totus amori
 130v haereat Auctoris, tardatur, adusque resurgat
 incorruptibile corpus sine fine futurum;
 at desiderii generat dilatio poenam:
- 7785 sic omnis poenae sanctus non permanet expers. -
 Sed desiderium sancti dicuntur habere
 ob talem causam, quia donum, quando resurgent
 corpora, laetitiae mansurae maius habebunt.)
 Uota Deo nostrasque preces offerre leguntur
- 7790 angelici ciues, non quod doceatur ab ipsis
 (nouit ab aeterno, quaecumque futura fuerunt),
 sed quod uelle Dei rimentur, sicque reportent,
 insinuent, peragant, quae norint uelle magistrum.
 Ipsum consulere caelestibus expedit, ut, quid,
 7795 qualiter, et quando faciant, agnoscere possint.
 Sic contemplantes deitatem cuncta uidentem,
 discentes animae sanctorum uota precantum
 per Uerbum Patris, an sint implenda, docentur.
 Pro nobis petimus ciues orare supernos,
 7800 ut nobis merita bona suffragentur eorum,
 et nobis faueant, sortiti posse iuuandi
 nos propter merita, quia sic Deus ipse faueret,
 a cuius placito minime discedere possent.
 Unus denarius sanctis datur omnibus, una
 7805 merces, una domus, sed in illa mansio dispar.

7776 uult² *RI*: uul *Rac*

7785 pene *R(I)*: penam *Rac*

7789 Uota *Gz*: Nota *R*

7801 iuuandi *RI*: uiuendi *Rac*

7776 *sch.s.l.* (omnis) Beatus. 7779 *sch.* Prouerbiū. 7780-83 II Cor. 5,1-4; *cf. ad vers.* 3571-72. 7789-90 Tob. 12,12. 7804-05 Math. 20,10; Ioh. 14,2.

- Idem denarius Deus est et uita perennis:
 omnes in patria sancti deitate fruuntur,
 et tamen impariter, minus unus et amplius alter.
 Stella quidem differt a stella, clarior una
 7810 est alia: sic non lucent aequaliter omnes,
 sed quidam superant alios splendore beati,
 131r corporis et mentis maiori luce nitentes.
 Qui contemplatur deitatem clarius, illi
 maior laetitia confertur, gloria maior:
 7815 cognitione quidem, per quam Deus ipse uidetur
 per speciem, non in aenigmate, uita beata
 omnis plena boni perdurans semper habetur,
 unde magis fulgens in mente beator exat;
 cognitio dispar censetur mansio dispar.
 7820 Omnes aspicient plene, quod trinus et unus
 sit Deus, et quicquid caelestis uita requirit,
 ut nihil inde sciat unus, quod non sciat omnis,
 quamuis agnoscat uno praeclarius alter.
 Inde parem docuit pater Augustinus habere
 7825 omnes laetitiam sanctos, quia, de quibus unus
 illorum gaudet, gaudent generaliter omnes;
 plus tamen is gaudet, qui plus in mente refulget,
 clarius aspiciens deitatem lumine mentis. -
 Non ex aureola seu fructu uirginis ipsi
 7830 maior quam uiduae datur exsultatio mentis,
 mansio nobilior, caeli retributio maior;
 creditur aureola tantum esse decentia quaedam,
 qua uirgo, martyr, doctor distinguitur almus
 a sanctis aliis, non qua retributio praestat.
 7835 Quos decet aureola, fructus centenus honorat,
 non praefert aliis tamen in mercede perenni;
 qui fuit in terris meriti maioris, eidem
 in caelis datur a Domino retributio maior:
 hinc nuptas, uiduas quasdam maiora quibusdam
 7840 uirginibus constat habituras praemia caeli.

7818 extat *Rpc*: extans *Rac*

7809 I Cor. 15,41. 7815-16 I Cor. 13,12.
 P. Lombardi (IV, 49,3,2); cf. *annot. editoris ad loc.*

7824-28 *Re vera verba sunt*
 7829-38 Matth. 13,23.

Ignis praecedet aduentum iudicis, in quo
131v ardebit mundus mundique figura peribit,
 in melius siquidem mutabitur, ut noua caeli
 et terrae species fiat, substantia duret;
7845 perdurabit enim substantia nescia finis.
 Aereum caelum tantum purgabitur igne;
 quantum diluuium conscendit, scandet et ignis.
 In raptu iusti morientur moxque resurgent:
 a culpis purgabit eos uenialibus ignis;
7850 nullas inferre poenas nullumque grauamen
 purgatis poterit, sicut nec laedere grandis
 tres pueros potuit ardentis flamma camini;
 ignis erit reprobis comes indiuus ad Orcum,
 ardoris nimius poenam sine fine ministrans.
7855 Sunt in bis senis sessuri sedibus omnes
 perfecti, Christi uestigia sacra secuti,
 cunctis terrenis ipsius amore relictis;
 quos assessores socians sibi Christus habebit.
 Ancipites gladios gestabunt, quippe potestas
7860 iudicium super electos reprobosque ferendi
 concedetur eis; qualis tamen illa futura
 sit, minime sacra patrum scriptura reuelat.
 Filius in sede Patris sedit, quia uicit:
 quippe, quod extiterit par Patri, claruit inde,
7865 quod post poenarum fuerit certamina uictor.
 Sancti uictores in Christi sede sedebunt;
 nam, quod iudicium possint dictare quibusque
 conueniens meritis, uirtute ipsius habebunt.
 Inferius populus pendebit in aere sursum,
7870 quem dignum tradet sententia perpete uita.
 Quos feriet Domini sententia morte perenni,
132r nequaquam surgent a terra more priorum,
 quod caelis ausi fuerint praeponere terram
 caelica uitando, terrena caduca sequendo.

7863 sedit *R*, *Gz(praef)*: sidet *Gz(txt)*

7841 Psalm. 49,3; 96,3. **7843-46** Is. 65,17; 66,22; II Petr. 3,10-13; Apoc.
 21,1. **7848** I Cor. 15,51-52. **7851-52** Dan. 3,17-24. **7855-57** Matth.
 19,27-28; Luc. 22,30. **7859-61** Psalm. 149,6-9. **7863** Matth. 25,31; Apoc.
 3,21. **7866** Apoc. 3,21. **7869** I Thess. 4,17.

- 7875 'Iudicium Domini' 'Iosaphat' sonat: inde prophetae
uerbis perspicuum non est, quis sit locus ille,
in quo conuenient feriendi perpete morte,
an uallis Iosaphat uel quaeuis altera tali
propter iudicium Dominantis nomine dicta.
- 7880 Non supra terram Christus descendet ad ipsos,
aeris in spatio residens, cui subditur ille
mons Olei, de quo caeli conscendit ad arcem.
Tunc apparebit in caelis crux sacra Christi,
angelicis ante Christum delata ministris.
- 7885 Affirmant quidam, quod cordibus insinuanda
sit praeter uocem meritis sententia digna;
sed, licet exsurgant subito, per uerba morose
post poterit cunctis sententia bina referri.
In condemnatos sententia nulla feretur,
- 7890 qui sacramentis fidei spreuere renasci,
ipsorum siquidem iam condemnatio certa
et satis ecclesiae toti manifesta patescit;
quare non in eos, fidei sine lumine functos
et numquam sacro lotos baptisate, sicut
- 7895 in baptizatos, quamuis per facta negassent,
auctorem Christum nihilominus ore professos,
tempore iudicii uerbis inuectio fiet.
Ex quo spreuerunt Christum uel uoce fateri,
nulla uocalis eos feriet sententia Christi,
- 7900 et tamen aeterna torquebit poena Gehennae.
In tenebris fletus erit exterioribus, extra
132v lucem carnalis oculi mentisque futuris.
Donec iudicium fiat, si luceat ignis
inferni, poenam lux inferet illa uidenti;
- 7905 sed post iudicium reprobis apud infera nullus
confusis inerit elementis ordo, sed horror
aeternus: non lucebit, licet ardeat, ignis;
sic, quamuis tanta fortassis non queat ante

7878 an *RI*: in *Rac*

7904 *inferet RI*: *inferat Rac*

7875-76 *Ioel* 3,2.

7882 *Luc.* 24,50-51; *Act.* 1,9; 1,12. 7883 *Matth.* 24,30.

7887 *I Cor.* 15,52.

7889 *Ioh.* 3,18.

7895-900 *Iac.* 2,13-26; *Matth.*

25,41-46.

7901 *Matth.* 8,12; 22,13; 25,30.

- culpīs humanae fieri caecatio mentis,
 7910 quin quandoque Deum recolendo cogitet aequum,
 non post iudicium reprobos permittet Auerni
 mente uidere Deum iugis uehementia poenae,
 sed totam nimia trahet ad se passio mentem.
 In reprobis post iudicium peruersa uoluntas
- 7915 augmentum semper capiens odiumque malignum
 atque Dei iugis obliuio, nata dolore
 continuo, dicta 'tenebrae' sunt 'exteriorēs'.
 Non erit in reprobis meritum peruersa uoluntas
 supplicii, sed supplicium meriti, quod in ista
- 7920 uita praecessit, quamuis sit culpa futura.
 Non per aquas niuium minuetur poena malorum,
 a quibus ad nimium transibunt ocus aestum:
 augebit subita potius mutatio poenam.
 Illorum uermis numquam morietur: ut ignis
- 7925 ligna uorat, tinea uestes, sic uermis eorum,
 tristities, numquam cessabit rodere mentes.
 Inferni nullo flatu succenditur ignis,
 nullis nutritur lignis, ab origine mundi
 factus, ut extinguī non possit, semper adurens
- 7930 numquam consumens durantes morte perenni.
 Angelus angelicis praeerit conciuibus atque
- 133r Daemon daemonibus, homini dominabitur uni
 alter homo, donec praesens durauerit orbis,
 sed post cessabit omnis praelatio talis;
- 7935 non tamen ad plenum definit apostolus, utrum
 daemonibus post iudicium sit danda potestas
 torquendi reprobos, an debeat omnibus illis
 ex sola uirtute Dei cruciatus inesse,
 ut uirtute Dei sola torquebitur omnis,
- 7940 postquam sublata fuerit praelatio, daemon.
 Iudicium faciet Christus, quia, teste Iohanne,
 filius est hominis; non denotat hic 'quia' causam,
 est siquidem sensus: 'iudex erit ens homo Christus,
 non tamen ex hominis uirtute, sed ex deitate';

7914 In R; I a rubricatore supra i uel I, quae atramento scripta erant, erasam picta est

7921-22 Iob 24,19.

7924-29 Is. 66,24; Marc. 9,45.

7934 I Cor. 15,24.

7941-42 Ioh. 5,27.

- 7945 nec solus, sed tam Genitor quam Spiritus almus:
inde tamen Christus facturus dicitur omne
iudicium, quod cernendus sit ab omnibus aequum
iudicium faciens, meritis cuiuslibet aptum,
in forma serui, quae glorificata patebit,
7950 terribilis reprobis et cunctis blanda beatis,
terrens damnandos, delectans lumine iustos.
Ut reprobis timeant, in quem pupugere, uidebunt;
non tamen aspicient deitatem, quam sine mentis
laetitia praeter cor mundum nemo uidebit;
7955 ne malus hanc uideat, tolletur teste propheta.
Ex deitate licet producat corpora Christa,
ex forma serui producere dicitur, in qua
promeruit, poenas patiendi mortis amarae
atque resurgendo tamen ex uirtute superna,
7960 producenda fore de puluere corpora nostra.
Non tantum uita Pater est, sed Natus et almus
133v Spiritus: hinc animam, quae sentit (non caro) uitam,
uiuificare Dei legitur uirtute redemptor.
Sicut uiuificat animas, sic corpora tantum
7965 ex uirtute Dei mediator suscitatur, aequae
cuncta gerens facile, quamuis opus ipsius unum
maius dicatur alio; sed dicitur inde
maius, quod posse manifestet clarius eius.
Iudicis aduentum praecedet, teste Iohel,
7970 eclipsis solis et lunae: luna rubore
sanguinis et tenebris solis fuscabitur astrum.
Tempore iudicii cum iudex uenerit et sol
iustitiae Christus splendescere coeperit, eius
lucis respectu sol obscurabitur alter,
7975 nullum defectum patiens in luce priori;
sic nec luna dabit lumen nec stella nitorem.
Cum comparuerit uenientis magna potestas,
inde mouebuntur uirtutes, lumina caeli,

7952 Zach. 12,10; Ioh. 19,37; Apoc. 1,7. 7953-54 Matth. 5,8. 7955 Is.
26,10 *iuxta* Septuaginta; cf. P. Lomb. IV, 48,1,1. 7957 Ioh. 5,21. 7961 Ioh.
5,26; 11,25; 14,6; Col. 3,4; I Ioh. 5,12. 7966 Ioh. 5,20. 7969-71 Ioh. 2,10;
2,31; 3,15. 7972-73 Mal. 4,2. 7978 Matth. 24,29; Marc. 13,24-25; Luc.
21,25-26.

- angelici ciues, non perturbante pauoris
 7980 motu, sed motu, quo propter uisa stupebunt
 ut formidantes, si formidare ualerent;
 sic caeli dicit Iob formidare columnas
 iudicis aduentum, mirantes absque pauore.
 Ergo quid faciet deserti uirgula quaeuis,
 7985 si cedrus Libani sit concutienda stupore?
 quid reprobis facient, electi quando stupebunt?
 Cum caelum fuerit renouatum, cum noua terra,
 cum mundi tota facies purgata per ignem,
 ut lux solis erit lux lunae, teste propheta,
 7990 sol septemplex lucebit: lux erit eius
 semper perdurans, eclipsis nescia, tanta,
 134r quanta die quarta nascentis splenduit orbis
 in septem mundi primis exorta diebus,
 quam meruit minui patris transgressio primi.
 7995 Nota dies erit una Deo, testante propheta:
 non erit ante dies, post nox, sed tempore, quo sol
 nouit ad occasum descendere, uespere dicto,
 lux erit, et lucem iugem nox nulla sequetur;
 numquam succedet noctis caligo diei,
 8000 non lux et tenebrae sibi succedent, quia nullas
 permittet tenebras fore continuatio lucis.
 Non in maiori tantum splendore laboris
 dignam mercedem capient, sed in ordine stabunt
 sol et luna suo, loca iugiter, in quibus orti
 8005 sunt in principio, retinentes, ne qua ministrent
 sub terra positis reprobis solacia lucis:
 edocet Isidori nos haec sententia scripta.
 Nullis lucebunt quoque sol et luna beatis
 (nam caeli, terrae, solis lunaeque quiescet
 8010 officium), Domino fruituris luce perenni;

7979 perturbante *Rpc*: percurrente (?) *Rac*

7995 Nota *Gz(comm)*: *Tota R* (*V a rubricatore appicta est*)

8009 luneque *RI*: lune *Rac*

7982-83 Iob 26,11. 7989-90 Is. 30,26. 7995 Zach. 14,7. 8003-04
 Hab. 3,11. 8004-07 (Pseud-)Isid. De Ord. Creatur. 5,6 (PL 83: 924B-C) *apud*
 P. Lomb. IV, 48,5,6. 8008-11 Hieron. In Esaiam XVII, 60,19 *apud* Gl. Ord.
in hunc locum (PL 113: 1304B).

- Ieronimus sic exponit sacra uerba prophetae:
 'Non ad lucendum tibi sol erit amplius, et te
 non illustrabit splendor lunae, sed habebis
 in lucem ueram Dominum lucemque perennem'.
 8015 Christus, Patre minor ueniens in carne, fideles,
 quos rexit, dictos 'regnum', quod tempore seuit
 mortalis uitae, quod dira morte redemit,
 Patri tradet, idem, cum sit Deus auctor, habenti,
 et sibi non adimet, cum sit Deus ut Pater eius
 8020 et, qui procedit ex ipsis, Spiritus almus;
 sed tradet, quia perducet, quos ante regebat,
 134r ut fiant uisa Patris deitate beati,
 in qua par Patri numquam de Patre recessit.
 Ad contemplandum perducet membra, quod unus
 8025 sit Deus et trinus, in terra credere docta,
 et directa uia fidei rex eriget ad rem,
 ut, quae credebant, manifesto lumine cernant.
 Uel Christus Patri tradet regnum, quia regno,
 scilicet edoctis in Patrem credere, Patrem
 8030 per speciem manifestabit regnare perennem.
 Et non lux tantum, sed in omnibus omnia sanctis
 ipse Creator erit, honor, exultatio, uirtus,
 gloria, uita, salus, meriti retributio, merces
 uirtutum, saties desiderii sine poena
 8035 cum desiderio satiei, meta laboris,
 laus indefessa, sine fine refectio grata,
 inconcussa quies, perfecti feruor amoris,
 pax indeficiens et delectatio summa,
 et quicquid poterit quis uelle beatus honeste.
- 8040 Ad summum finem perductum finio librum.

8029 silicet (!) R2 in ras.: ? Rac

8011-14 Is. 60,19.

8015-18 I Cor. 15,24.

8031-32 I Cor. 15,28.